









ZHK 3

**COLLOQUIA
DOCTORIS
INGOLSTADIENSIS.**

*Dubbel
H 6*

COLLOQUIA
SOCOTRIÆ
ACADEMIAE

COLLOQUIA
DOCTORIS
INGOLSTADIENSIS
= P. de Doyari s. J.
REBUS AD ECCLESIAE
DOCTRINAM ET DISCIPLINAM
PERTINENTIBUS.

Vastabant Ecclesiam perditissimi, ... qui magnas quotidie strages, velut apri vineam ingressi, edebant; neque erant qui progressibus eorum se se opponerent, qui quidem causam bonam possent adjuvare, prater Romanum Episcopum. Nemo autem perius rerum Ecclesiae ignorat, opera Romanorum Pontificum, per multa saecula Deum esse usum in conservanda sartate et fidei doctrinam.

CASAUBON. Exercit XV in Ann. Baron



D U S S E L D O R P I I.

M. DCC. LXXXIX.

Syrt Th 1181

ZKu

LIBRARY OF THE STATE

LIBRARY OF THE STATE

LIBRARY OF THE STATE

LIBRARY OF THE STATE



55.3780



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

REVERENDISSIMIS
ET RESPECTIVÈ
EMINENTISSIMIS AC SERENISSIMIS
GERMANIÆ
ARCHIEPISCOPI.

Hæc Colloquia, quibus Acta, vobis aut falso imputata, aut dolosè suggesta & imprudenter adoptata, materiam suppeditaverunt, CELSITUDINIBUS VESTRIS dicata sunt. Eadem si benignè excipiatis; si generosè, abiectis que vos in errorem induxerunt, principiis approbatione vestrâ fulciatis, vestrisque Diœcesanis tamquam rectam sentiendi normam porrexeritis, REVERENDISSIMI EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPES pro seculò con-

vj
firmabitis, quæ de vestrâ Fide, integrâ-
tate, virtutibus & meritis constanter
ibidem afferui, & quæ de pravo, &
schismatico systemate tam iniquè vobis
attributo, in suos fallaces & deprava-
tos autores non temerè rejecti. Hâc viâ
immortalem vobis apud bonos compa-
rando laudem, habebitis Deum, cuius
Ministri esis, Remuneratorem magnifi-
cum, meque perennem VESTRARUM
CELSITUDINUM admiratorem, præco-
nem & ex corde intimo,

REVERENDISSIMI, EMINENTISSIMI
AC SERENISSIMI METROPOLITÆ.

SERENISSIMARUM VESTRARUM
CELSITUDINUM.

Servum humillimum nec non obse-
quentissimum PETRUM CHRISTIANUM,
Romanæ Ecclefiae Filium.

LECTORI BENEVOLO.

ACCIPE, benevole Lector, familiaria, quæ simplici neglectoque stylo, ut omnium captui sint accommoda, exaravi Colloquia. In his ex ordine & sigillatim refelluntur, quoad brevissimè fieri potuit, pseudeotorum per Germaniam grassantium scandalosæ, schismaticæ, in sedem Apostolicam contumeliosæ opiniones, fucatâ industriâ magnisque artificiis adornatæ, ac sophismatibus, fallaciis & sycophantiis innixaæ. Opponendo ipsis constantem Ecclesiæ universalis auctoritatem, clarè demonstratur in quot & quanta vitia & excessus trahant nefandi eorum errores. Qui hæc Colloquia mente attentâ nec præoccupatâ legerit, profectò Novatorum proterviam & improbitatem in oppugnandis principiis ubique terrarum a veris Fidelibus receptis, abundè perspiciet habebitque in promptu, unde valeat eorum præstigias refellere. Doc-

vijj

tor Ingolstadiensis ibidem præcipuas
partes agit, & nullis aut ab arte pig-
mentis, aut a commentarye conqui-
fitis argutiis, sed ingenuè, absque acri-
moniâ, imò cum omnimodâ charitate
movet, instruit, in veritatis semitam
reducit. Collocutores melius edocti
piissimorum Metropolitarum turpiter
deceptorum vicem amarè dolent, &
ardentissima vota eliciunt ut *sapiant*
ad sobrietatem. Tu autem, benevole
Lector, utere, fuere & vale.

COLLOQUIA DOCTORIS INGOLSTADIENSIS

*De rebus ad Ecclesiæ Doctrinam &
Disciplinam pertinentibus.*

COLLOQUIUM PRIMUM.

COMES Franconiae & DOCTOR Ingolstadiensis

COMES. Salvis sis Domine Doctor. Est quod-
dam opus bonum quod tibi suscipiendum
proponam ; ideo rogavi , ut pro tuâ oppor-
tunitate me conyenires.

Doctor. Nolui , Illustrissime Comes , meam desi-
derari operam ; quapropter absque morâ
advolo. Quid igitur boni sugerendum ob-
venit.

Comes. Ut proximis feriis apud me rusticaris in
Castello ad Rheni tractum sit.

Doctor. Nempe , quid inde commodi capias ?
Quasi te fugiat nos genus esse hominum
insuave & fastidiosum.

A

(2)

Comes. Non alium præter te Doctorem novi; nec scio utrum cæteri sint insociabiles & tetrici. Id si ita sit, eorum de numero excipiendus es. Et enim tam crebro, tam familiariter tuo sum usus commercio nec unquam, ut puto, advertere potuisti te mihi gravem fuisse aut injucundum.

Doctor. Hoc totum tuæ adscribendum est humanitati: sed longè aliud est per unam alteramve horam hominem sustinere, aliud vero per mensem integrum Convictore uti assidue.

Comes. Sentio, Domine Doctor, tu ipse times ne postquam a Museo abscesseris, tædeat te temporis. Ast in castello meo bibliothecam invenies non mediocriter instructam, ibique, quamdiu libebit, poteris latitare.

Doctor. Imò, Domine Comes, quos ibidem libros reperero?

Comes. Non equidem Romanenses, sed Clasicos, Historicos, Philosophicos, Theologicos, & Polemicos. Præterea est mihi Pastor valde exultus, & qui habet librorum affatum.

Doctor. Ex his nunc satis liquet, Domine Comes, quam commodè apud te sim rusticaturus; sed nequidem conjecturâ assequor, quid ibidem possim præstare boni operis.

Comes. Rem omnem aperiam, Domine Doctor. Singulis autumnalibus feriis ad hunc Pastorem divertit Sacellanus quidam Bonnensis, vir ingenio acutus, verbo promptus & argutissimæ subtilitatis. Hi ambo nescio quid continèt ogganiunt de Conventiculo Emiensi, de Ecclesiæ Romanæ usurpationibus, de Episcoporum & præcipue Archiepiscopo-

rum iuribus, de veteri Ecclesiæ Disciplinâ; de Indulgentiis, de Matrimonii vinculo dissolubili, de Dispensationibus, de Nuntiatu-
ris, &c. Tot & tanta mihi prædicant huc usquè inaudita; quæ si vera sint, omnia & Conciliorum & Patrum, & Theologorum testimonia meritò erunt destruenda. Maxi-
mam sibi in universo, quām latè patet, tractu nostro, suis sophismatibus comparâ-
runt auctoritatem. Quocirca eorum con-
versio egregios fructus ederet, deviosque plurimos in veritatis semitam revocaret.

Doct̄or. Totus in hanc operam incumberem li-
bentissimè: verū an me quidem ausculta-
bunt? An mecum dissertare consentient?

Comes. Consentient utiquè. Cum enim quādam
die prandērent apud me, multaque coram
discubentibus certatim effutirent, quæfivi
utrūm, quæ in medium proferebant, aude-
rent coram viro doct̄o ratahabēre? Repro-
suerunt illicè, se quidem ea pugnatissimè
defensuros adversus quemlibet. Cumque
hāc super re circumstantes vocarem in tes-
timonium, & jactitarem hujusmodi vi-
rum doct̄um anno proximo mihi comitem
adfuturum, illi non dubitaverunt sponzionem
suam his terve confirmare, afferentes se nul-
lum detrectatueros certamen. Indè sat con-
jicere licet eos non ausuros gradum retrò
referre.

Doct̄or. Nequam debueras doct̄um me venditare.
Talem me reverà existimabunt. Idcirco con-
gressum formidantes, varia effugia obtendent.
Alter quoddam iter suscipiendum prætexet;
alter finget se negotiis urgentibus impe-
ditum.

Comes. Id quidem fieri posset, si vel te noſſent, vel præmoniti forent; sed inexpectatus ac incognitus advenies; & ſic erunt ex improviso capti. Insuper vetui famulis ne unquam te Ingolſtadienſem Doctorem nuncuparent, ſed dumtaxat Præpoſitum quemdam Bavaruſum, quo cum magna mihi intercedit neceſtitudo.

Doctor. Neque veritatem laedes, quippe qui tantillæ Præpoſiturae titulo ſum inſignitus. Cæterum totum me ad arbitrium tuum fingo. Quandonam profiſcendum erit?

Comes. Intra triduum, ſi nihil obſtet.

Doctor. Sat erit mihi temporis, ut res meas compoñam, meque ad iter iſtud accingam. Vale.

COLLOQUIUM SECUNDUM.

COMES, DOCTOR, PASTOR, SACELLANUS.

COMES. Nequaquam excidit memoria Reverendi Domini, quid anno præterito inter nos ultrò citrōque fuerit receptum, quum hodiernam Eccleſiae Disciplinam, Summi Pontificis jura, & ſexcenta alia tantum non evertebatis.

Pastor. Intelligo, ILLUSTRISSIME Comes. Promiſſa reponſis, & præſtō fumus exequi.

Comes. Perplacet tam prompta voluntas. En familiaris meus Dominus Præpoſitus Bavarus, quem me huic adducturum pollicitabam.

(5)

Is & vos auscultare , & Ecclesiæ ac Summi
Pontificis jura tueri haud refugiet.

Pastor. Huc venit scilicet ut nos ultramontanos
reddat ? *Hoc opus , hic labor est.*

Doct̄or. Ultramontanos nolim vos reddere , sed
genuinos Ecclesiæ filios , idque non est adeò
arduum ; quandoquidem decertandum mihi
erit cum viris non tantum eruditis , sed
etiam piis , eâ nimurum pietate , quæ est ad
omnia utilis (a).

Sacellanus. Nihil dici potest officiosum magis.
Sed amabo te , Domine Præposite , in sen-
tentiâ nostrâ nos relinque , tuque si lubet ,
in tuâ permaneto.

Doct̄or. Quid ais , Domine ? Profectò hujusmodi
indifferentia in Clerico haud potest culpâ
vacare. Creditis me erroris cœno immer-
sum , nec satageretis illinc me extrahere ?
Aliud sancè exigit charitas , nempè , me ut
instruatis , erroremqæ meum demonstratis
mihi. Quod ut assequamini , nonne est opus
ut me auscultetis , simulque conferamus ra-
tiones ultrò citrōe militantes.

Pastor. An legisti , Domine , eruditissimas illas
Theses , quas tantâ cum laude propugna-
verunt & Ticinenses , & Bonnenses , & Tre-
virenses , & Moguntini & plurimi alii ? An
trivisti manibus Moguntinas ephemерides ,
quibus nomen *Aufklarung* tam justè indi-
tum , item Emilianas PUNCTUATIONES ?
tum septuaginta tres Articulos ad Imperii
Comitia transmissos , denique Mandatum qua-
dragefimale Monasterii datum ?

(a) I. Tim. 4.

Doct̄or. Hæc omnia & multo plura legi , per-
legi a capite ad calcem.

Sacellanus. Et nihilominus hæres in vetustis
principiis , id est , in ultramontanis deliriis ?

Doct̄or. Nec pertinaciter minus quam antè.

Pastor. Hoc attento , quid juvat tecum differere ?
Quippe si in tot admirandis & Spitzii (a) ,
& Hedderichii (b) , & Froitzheimii (c) , &
Haubsii (d) , & Kamperi (e) , & Jungii (f) ,
& Braunii (g) , & Castelli (h) , & Thaddæi
à Sancto Adamo (i) , & Tamburini (k) ,
& Pereiræ aut Pereræ (l) , & Ricci (m) ,

(a) Andreæ Spitz Dissertatio historico- ecclesiastica.
Bon næ 31 Martii 1788.

(b) Philippi Hedderich Dissertatio juris ecclesiastici
Germanici de iuribus Ecclesie Germanie in Conventu
Emphiano. Bon næ 6 Martii 1788.

(c) Gaspari Froitzheim Dissertatio inauguralis de quin-
que principiis fontibus juris ecclesiastici , Colonensis spe-
cialissimi. Coloniae 8 Maii 1788.

(d) Francisci Antonii Haubs , Themata ex historia ec-
clesiasticæ dogmatum , politiæ , & disciplinæ ecclesiasticæ . Treviris 13 Sept. 1786 , & 14 Sept. 1787.

(e) Wigandi Kamper Historia Indulgentiarum cum re-
flexionibus dogmaticis. Moguntiae 21 Aug. 1787.

(f) Joannis Jung facta dispensationum episcopalium
historica. Moguntiae 28 Sept. 1787.

(g) Joannis Adami Braun Dissertatio utrum matrimo-
niū vinculum , &c. Moguntiae 10 Sept. 1787.

(h) Wilhelmi Josephi Castello Dissertatio historica de
variis cauis queis accidentalis Romani Pontificis po-
testas successivè ampliata fuit. Treviris die Aug. 1788.

(i) Thaddæi à sancto Adamo ex Ordine Carmelitarum
Discalceatorum Theses ex introductione in Hermeneu-
ticam Biblicalam & libris Mofacis. Bon næ 14 Junii 1787.

(k) P. Tamburini Brixiani in Academia Ticensi de
Iustitia Christiana & de Sacramentis , 1784.

(l) Antonii Pereræ (non Pereiræ) Congregationis
Oratorii , Doctrina veteris Ecclesie de supremâ Regum
etiam in clericos potestate , &c.

(m) Scipionis Ricci Pistoienus Episcopi.

(7)

& Febronii (a), & facundi Nunciorum Ecclesiasticorum Redactoris foliis, thesibus, libellis, operibus quibuscumque, acies oculorum tuorum hâc clarâ veritatis face nondum percellitur, profectò semper cæcutes.

Dotor. Adeo non percellitur tenebrofâ illâ face, ut nihil in iis videam præter caliginem, errores, mendacia, sôphismata.

Sacellanus. O! res stupenda nimis & portento haud absimilis!

Comes. Auscultate me paucis, ni pigeat. Dominus Praepositus, qui hic adstat coram, in suâ regione vir existimatur moderatus & prudens, qui res mature perpendit, nec quidquam inconsultò aggreditur. Itaque eum haud ægrè in viam reducetis, si senserit se vel latum unguem a recto tramite deviasse. Quæ cum ita sint, operæ pretium est, eum in vestram sententiam vestrasque partes, ut alliciatis.

Dotor. Aliquot Colloquia saltem concedite mihi. Cæterûm protestor me absque acrimoniâ, dolo, proterviâ vobiscum velle agere. Ilustrissimus Comes hâc super re, libenter, ni fallar, vadem se & fidejussorem oppigne-rabit.

Comes. Imò libentissimè. Nec puto me à Domino Parocho aut Sacellano recusandum. Unum hoc efflagito, ut me vestris discep-tationibus interesse patiamini,

Pastor. Evidem, quandò sic lubet, id nobis erit gratissimum atque honorifcentissimum.

(a) Justini Febronii. De Statu Ecclesiæ, &c.

COLLOQUIUM TERTIUM.

COMES, DOCTOR, PASTOR, SACELLANUS.

Comes. Instructi estis, ut video, magnâ libellorum copiâ?

Sacellanus. Variae sunt Theses & Dissertationes, quæ subinde propugnatæ fuerunt in Universitate Moguntinâ, imo & Trevirensi, Bonnensi, necnon alibi in hâc nostrâ Germaniâ aut in Italiâ, nempè juxta mentem Archiepiscopi Spalatensis, Launoii, Febroniî, Eybel, Pererîæ, Ricciî, & aliorum plurimorum.

Comes. Patet inibi, ita opinor, amplus disputationi campus. Verum enim verò, nonne controversia solo ratiocinia, absque hâc auctoritatum congerie facilius dirimi posset?

Doctor. Sine modò, Domine Comes, nec te moveat hæc thesum moles. Levior fiet in trutinâ.

Sacellanus. Unde tibi placet, sumant colloquia nostra exordium?

Doctor. Nempè videtur a notione Ecclesiæ inchoandum. Jam autem quid de illâ vestrâ Theses prædicant?

Sacellanus. Per multa sanè nec inficeta. Si Haubfium consulas, hæc habet in thematibus de Hierarchiâ, 13 7bris. 1786. Thesi VIII, pag. 5. Cætus hominum Religionem hanc (Christianam) profidentium vocatur *Ecclesia CHRISTIANA*.

(9)

Doctor. Bellè profectò. Inde sequitur nullum deinceps fore discriminem inter Ecclesiam Catholicam & Græcam, Lutheranam, Calvinianam, Anglicanam, cæterasque acatholicas sectas: sunt enim totidem cætus hominum Christianam Religionem, ut contendunt, profitentium. Quapropter, paganos, Judæos, Mahumetanos, & perversos nostri sacerduli philosophistas, si exceperis, reliqui omnes juxta vestram definitionem erunt reverà in Ecclesiæ Catholicæ finu.

Pastor. Bona verba, quæso, Domine Præposite. Attende tantisper ad ea quæ subdit D. Haubs. Ne verò quis existimet, inquit, tradere hic nos velle Ecclesiæ Christianæ definitionem numeris suis absolutam; sufficit enim hic nobis qualiscumquæ hujus nominis declaratio.

Doctor. Ludierum planè commentum! Quasi gravius ipsi fuisset genuinam & in omnibus Theologiis & Catechismis contentam Ecclesiæ definitionem enuntiare? Quasi tanti constituisse addere hæc pauca & usitata verba, sub uno in terris vicario, vel cum Canisio, sub uno & summo post Christum Capite & Pastore? Illa reticuit oppidò, quia haudquam arridet, quod Ecclesia uni Capiti sic subjiciatur. Hinc maluit dicere cum famoso Pehem, cæterisque novatoribus, quibus accessit Lovaniensis Le Plat (a). Cætus hominum Religionem Christianam una-

(a) Consule Disceptationem inter D. Vanden Elskens Theologie alumnorum Lovaniæ & D. Le Plat, in qua, Junior ille Sacerdos tam fortiter adversarium confutavit, 1. Decembris, 1786.

nimister profitentium. Nonne hoc est primas & receptas rerum notiones protervè perfundare? nempe ut Caput visibile ab Ecclesiâ Christi avellatur? (a).

Comes. Ædepol, hanc Ecclesiæ definitionem ultrò amplectentur quotquot sunt Acatholici.

Doctor. Ideoque de industriâ illam insinuavit Haubius, nimirū ad destruendam illam Ecclesiæ unitatem, quâ sublatâ denique, mox omnes sectæ cum Ecclesiâ Christi coalescerent. Porro illud ipsum ambiebat Febrius, cum monstruosum fætum edidit *ad reunendos* (ut putidiùs jaætitat) *dissidentes in Religione Christianos*.

Comes. Utquid dumtaxat de Ecclesiâ *Christianâ* loquitur, non vero de *Catholicâ*? Hæc affectatio mihi non placet omnino.

Doctor. *ACCIBE DANNUM INSIDIAS, Virg. Aeneid. l. 2.* Dum continuò & Haubius & reliqui affectæ illas elocutiones usurpant Protestantibus & Novatoribus amicissimas, quis non videat, sub nomine *Religionis Christianæ*; *puri, veri, primitivi Christianismi*, illos expungere velle Notam veræ & solius Catholicæ Ecclesiæ characteristicam?

Pastor. Id equidem, nec inferior, viderentur immuere; nisi, ut uni Haubio insistamus, profiterentur se noluisse accuratam Ecclesiæ definitionem tradere.

Doctor. An forte accuratiorem dedit Castello

(a) Joannes Jung in suâ Dissertatione de *Fæcis Dispenzionum Episcopalium Historicis*, 1787, p. 3. *Themate 10.* Orthodoxæ characterem in communione cum Episcopis reponit, nullâ Capitis factâ mentione.

dum dicit *Ecclesia Catholica est societas hominum Religionem JESU CHRISTI legitimè profidentium?* (a)

Sacellanus. Porrò, huic definitioni quid deest sci-
licet? Namquè definitum est Ecclesia non
Christiana dumtaxat sed nominatim *Catho-
lica*. Jam autem per has voces legitimè pro-
fidentium, nonne suaptè subintelligas *sub
uno in terris Capite?*

Docttor. Nequè subintelligo, nequè id quidem subin-
telligi debet aut potest, cum positione 29^a.
expressè dicat: *Cujus caput est Christus,*
deinde posit. 30^a. *a quo Apostoli omnes &
pari consortio prædicti sunt honoris & potes-
tatis.*

Sacellanus. Saltem ne reticueris, quæ posit. 31,
32, 33 subsequuntur. *Aliquam tamen præ-
rogativam Christus concessit S. Petro.* — Quæ
non tantum honoris, sed & jurisdictionis
est. — *Cujus finis est, ut conservetur uni-
tas in Ecclesiâ.*

Docttor. Has positiones jamjam allegaturus eram,
ni me dicendo præoccupasses. Verùm adeò
non adstruunt esse in Ecclesiâ visibile ca-
put, ut potius illud destruant funditū. Vi-
debimus enim postea quo defineret tandem
illa honoris & jurisdictionis prærogativa,
quæ præcisè contineretur *in supplendâ alio-
rum negligentia, in propaciendo unitatis con-
servationi meritis exhortationibus & exemplo.*
Ita Eybel in suo nefando partu. *Quid est
Papa.*

(a) In Dissert. hist. mense Aug. 1733.

Pastor. Ut quid hæc citatio præpostera? Quasi
Eybel admireremus.

Docto[r]. Nempe dissimulatis cautè. Pudēret enim
vos hominem jussu Cæsareo Viennâ expul-
sum, quamquam deindè Novatorum fac-
tione revocatum, pudēret vos, inquam,
hujusmodi phreneticum appellare & aperte
stare ab illo. Statis tamen reapsè, cum idem
ac ille sentiatis, sentiantque Haubs, Hed-
derich, jung, Castello, Braun & reliqui
omnes ejus farinæ Professores, in quorum
thesibus inverecundè citatur.

Sacellanus. Is non sum ego, qui contra verita-
tatem renitar. Itaque fatendum ingenuè illud
esse arroganter factum & impudenter. Ni-
hilominus antequām illos condemnemus,
ulteriùs examinandum venit, an Ecclesiæ
Catholicæ unitatem evertere reverà inten-
derint.

Docto[r]. Hoc clarè liquet, si, ut aiunt, *Episco-*
pus quilibet sit ad Ecclesiæ gubernationem
vocatus æque ac Papa, nec minori prædictus sit
potestate. Sed quam bellè eos prædamnavit
Grotius dum dixit, *sicut exercitus, sicut navis*
regi non potest, nisi per gradus Praefectorum,
qui gradus in unum desinant; ita nec in Eccle-
siæ.... Hic ordo quis esse deberet, monstravit in
Petro Christus (a).

(a) Grotius in animadv. Rivet. T. 4, p. 941, Col. 2,
Edit. 1679. *Idem sic pergit: Restitutionem Christianorum*
in unum idemque corpus semper optatam a Grotio,
sciant qui eum norunt. Postea vidit id planè fieri nequire,
*quia præterquam quod Calvinistarum ingenia ferme om-
nium ab omni pace sunt alienissima, Protestantes nullo*

comes. Ecquæ posset esse in Ecclesiâ stabilitas sub primatu , cui nulla inesset vis coactiva , & quæ intra meram persuasionem contineretur , absque ullo imperandi jure , aut obedientiæ præcepto ? Herclè pagus quantuluscumque , imò hæc mea familia , ne duobus quidem diebus subsisterent , ni præficeretur caput à quo pendarent ; quantò magis immensa illa Fidelium societas , nisi verè foret supremo Capiti subjecta , mox dilabetur ? ... Sed salvâ pace vestrâ , hæc sufficiente hodie . Juvat enim frui cœlo fereno & deambulare tantisper . Craftinâ die , si lubet , materiam hanc resumemus .

inter se communi ecclesiastico regimine sociantur : quæ causæ sunt , cur factæ partes in unum Protestantium corpus colligi nequeant ; imò & cur partes aliae aq[ue] aliae sint exsurrecturæ . Quare nunc planè ita sentit Grotius , & multi cum ipso , non posse Protestantes inter se jungi , nisi simul jungantur cum iis , qui Sedi Romanæ cohærent , sine quâ nihil sperari potest in Ecclesiâ commune regimen . Ideo optat ut ea divulgatio quæ evenit , & eaufa divulgationis tollantur . Inter eas causas non est Primatus Episcopi Romani secundum Canones , fatente Melanchthonie qui eum Primatum etiam necessarium putat ad retinendam unitatem : neque enim hoc est Ecclesiam subjicere Pontificis libidini , sed reponere ordinem supienter institutum . *Ibidem. Apol. Disc. tom. 4, p. 744, col. 2. edit. 1679, in-fol. Alibi hoc addit.* Quod autem ad unitatem hujus externæ Ecclesiæ requirunt (Romano Catholicis) obedientiam unius summi Rectoris , qui Petro in regendâ Christi Ecclesiâ , & ejus ovibus pacendis suscepserit , non est a consensu priscæ quoque Ecclesiæ alienum . Certe Ambrosius Damatum , sua ietate Episcopum Romanum totius Ecclesiæ Christi Rectorem vocat . *Consultatio Casandri, apud Grot. tom. 4, pag. 568, col. 2.*

COLLOQUIUM QUARTUM.

*COMES, DOCTOR, PASTOR, SACELLANUS,
REFERENDARIUS Principis **.*

COMES. Advénit heri sub vesperam me invi-
sus, qui h̄ic rusticatur in viciniâ, fami-
liaris meus Serenissimi Principis ** Referen-
darius. Sinite, amabo vos, ut illi aditum
ad vestri cognitionem patefaciam.

Referendarius. Salvêre plurimùm vos jubeo, Re-
verendi Domini. Inaudivi ex Domino Co-
mite vos quædam instituisse colloquia super
controversiis, quæ nunc ubique, præsertim
in nostris Academiis, & quidem in ipsis
Germaniæ Aulis tam acriter in quæstionem
vocantur. Magnam a me inibitis gratiam, si
vestro dætu me aggregare non abnuatis.

Doctor. Imò istud erit nobis gratissimum, &
tibi, generose Domine, non prorsus inutile.
Ex his enim quæ coram discutiemus, abundè
poteris perspicere in quantam errorum yo-
raginem præcipites agantur Serenissimi, &
melioris fortis digni Principes, dum malè-
fana Novatorum consilia inconsideratè se-
quuntur, sub falso specie, sua jura aut repe-
tendi aut afferendi.

comes. Simul atque huc advenit Dominus Refe-
rendarius, mox a capite ad calcem ex ordine
retuli, quid in hesterno Colloquio de Eccle-
siâ fuerit inter nos disceptatum, itaque absque
repetitione ullâ, nunc si placet, pergit.

Pastor. Pergemus utique, dum sic lubet. Ægrè

tulit Dominus Præpositus quod in Ecclesiæ notione nulla mentio fuerit facta de uno in terris Capite, item quod dixerimus à Christo Apostolos omnes pari consortio præditos esse honoris & potestatis. Jam autem quis audeat hæc verba refellere, cum sint ipsiusmet Sancti Cypriani?

Doct̄or. Sunt equidem hujusce Sancti, sed malâ fide & subdolè allegata. Censet enim Sanctus Martyr Apostolos fuisse inter se æquales in auctoritate Apostolicâ, non autem in Primatu, inquit hoc in terminis implicat: inter multos enim, si quis primus est, unus ille est primus (a). Jam autem cur nostri adulteratores non addiderunt, quod in eodem textu ponitur; Sed exordium ab unitate proficiuntur. Cur reticuerunt, quod in eodem Libro de unitate Ecclesiæ dixerat Cyprianus, hæc verba Christi SUPER HANC PETRAM AEDIFICABO ECCLESIAM MEAM: PASCE OVES MEAS, ad Petrum nominatum referri..., Super unum Petrum esse aedificatam Ecclesiam... Unam Cathedram esse constitutam & originem unitatis ab uno descendere. Quæ omnia profectò demonstrant, Sanctum Petrum primum fuisse inter Apostolos, licet æquales inter se fuerint quoad potestatem Apostolicam; & id unum intendebat Sanctus Doctor, cum dixit, eos pari consortio præditos fuisse honoris & potestatis.

comes. Hæc certè clara videntur.

Doct̄or. Clariora etiam addidero. Ipsummet, quod adversarii frequenter appellant, Constantiense

(a) Tournely. Q. 5 de Capite Eccl. Art. 1.

Concilium an. 1414, damnavit errores tutti
 Wilefi aientis: Non est de necessitate salu-
 tis credere Romanam Ecclesiam esse supre-
 mam inter alias Ecclesiæ. Tum Joannis Hus:
 Petrum non esse nec fuisse caput Ecclesiæ
 Sanctæ Catholicæ. Quibus erroribus sanorum
 verborum formam opponens Martinus V,
 præscripsit interrogandos, qui de his suspecti
 essent, utrum credant beatum Petrum fuisse
 Vicarium Christi, habentem potestatem li-
 gandi ac solvendi super terram. Item Pa-
 pam canonice electum successorem esse
 beati Petri habentem supremam auctorita-
 tem in Ecclesiâ Dei; item Papam omni-
 bus Christianis posse concedere indulgen-
 tias; singulos porrò Episcopos suis subditis
 secundum limitationem Sacrorum Cano-
 num (a). Nonne patientiâ vestrâ, abutar si
 hisce tam longis citationibus superaddam
 Synodale Bafileenium responsum ad Taren-
 tinum Episcopum, cui palam declararunt
 fess. V » Fateri se & credere, Romanum
 » Pontificem Caput esse & Primatem Eccle-
 » siæ, Vicarium Christi, & a Christo non
 » ab hominibus, vel Synodis aliis Præla-
 » tum, & Pastorem Christianorum, cui
 » datae sunt a Domino claves, & uni dic-
 » tum tu es Petrus, & solum in plenitu-
 » dinem potestatis vocatum esse, alios in
 » partem sollicitudinis. «

comes. Meo quidem iudicio haec satis demonstrant
 Petrum ita fuisse inter Apostolos primum,

(a) Inde satis refellitur nefandus ille, nec refelli dignus
 Wigandus Kamper, qui in suâ historiâ indulgentiarum,
 tot & tanta impudenter & fasâ debilateravit contra ius
 & acta Pontificum circa indulgentias.

(17)

ut ille (idem dic de ejus Successoribus) jure
divino assignatum sibi habeat Christi gre-
gem universum , & simul cum Episcopatu
potestatem accipiat universalis regiminis.

Sacellanus. Pace tuâ , Illustrissime Comes , scias
velim , in Scholasticis disputationibus , præ-
cisis verbis esse utendum , & ab assensu
præcipiti temperandum . Sunt enim aliae at-
que aliae auctoritates proferendæ in medium :
nempe quid respondebit Dominus Præposi-
tus ad Sancti Leonis textum à Froitzheim
citatum ? (a)

Doctoꝝ. Quid sim ducturus ? Nimirum Froitzheim
esse sublestæ fidei ; nam & ille & cæteri
ejusdem farinæ dissertatores , quotiescumque
textus seu Scripturæ sacræ aut Conciliorum ,
seu Patrum tum Græcorum tum Latinorum ,
seu Theologorum & Canonistarum veterum
aut recentiorum producunt , toties legere
est istos textus demptos , amplificatos , corrup-
tos : quod ut probem , textui allato atten-
das tantisper , & ex uno disce omnes . Post-
quam enim citaverat Froitzheim hæc Sancti
Leonis verba . » Dictum fuit Beatissimo
» Petro tibi dabo claves regni cœlorum ,
» transivit etiam in alios Apostolos jus po-
» testatis illius , & ad omnes Ecclesiæ princi-
» cipes decreti hujus constitutio commea-
» vit ; sed non frustrâ uni commendatur ,
» quod omnibus intimatur : Petro enim
» ideo hoc singulariter creditur , quia cunc-
» tis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præ-
» ponitur . « Nonne debuerat ea quæ in

(a) Froitzheim . Dissert. inaug. 8 Maii 1788 .

eodem contextu immediate sequuntur, ad
 didisse? Manet ergo Petri Privilégium, ubi
 cumque ex ipsius fertur aequitate judicium.
 Nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi
 nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod
 Beatus Petrus aut solverit aut ligaverit. Et
 ibidem: de toto Mundo unus Petrus eligi-
 tur, qui & universarum gentium vocationi,
 & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiis
 Patribus præponatur: ut quamvis in Populo
 Dei multi Sacerdotes sint, omnes tamen pro-
 priè regat Petrus, quos principaliter regit &
 Christus. Liceat adhuc pauca citare, inter
 alia, quæ videri possunt in Lib. de Con-
 fid. ad Eugenium III. » Age, indagemus ad-
 » hoc diligenter quis sis, quam geras vi-
 » delicit pro tempore personam, in Eccle-
 » siâ Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, sum-
 » mus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum,
 » tu hæres Apostolorum.... Potestate Pe-
 » trus, unctione Christus. Tu es cui claves
 » traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt qui-
 » dem & alii Cœli Janitores, & gregum
 » Pastores: sed tu tantò gloriofius, quantò
 » & differentius utrumque præ cæteris no-
 » men hæreditasti. Habent illi fibi assigna-
 » tos greges; singuli singulos: tibi uni-
 » versi crediti, uni unus. Nec Ovium mo-
 » do sed & Pastorum, tu unus omnium
 » Pastor. Unde id probem quæris? Ex ver-
 » bo Domini: cui enim non dico Episco-
 » porum, sed etiam Apostolorum, sic ab-
 » solutè & indiscretè totæ commissæ sunt
 » greges? si me amas Petre, pasce Oves meas.
 » Quas? illius vel illius civitatis populos,
 » aut Religionis, aut certi regni? Oves
 » meas, inquit. Cui non planum, non de-

» signasse aliquas, sed assignasse omnes ?
 » Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et
 » forte praesentes cæteri condiscipuli erant,
 » cum committens uni unitatem, omnibus
 » commendaret in uno grege & uno Pas-
 » tore. . . . Ergo juxta Canones tuos, alii in
 » partem sollicitudinis, tu in plenitudinem
 » potestatis vocatus es. Aliorum potestas
 » certis arctatur limitibus : tua extenditur
 » & in ipsos qui potestatem super alios ac-
 » ceperunt. Nonnè si causa extiterit, tu
 » Episcopo Cœlum claudere, tu ipsum ab
 » Episcopatu deponere, etiam & tradere
 » Sataniæ potes? Bern. de Confid. l. 2. c. 8.
 » Oportet ad vestrum referri Apostola-
 » tum pericula quæque & scandala emer-
 » gentia in regno Dei, ea præsertim quæ
 » de fide contingunt. Dignum namque ar-
 » bitror ibi potissimum resarciri damna
 » fidei, ubi non potest fides sentire defec-
 » tum. Hæc quippe hujus prærogativa se-
 » dis. Cui enim alteri aliquando dictum
 » est : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non*
 » *deficiat fides tua?* Ergo quod sequitur, a
 » Petri Successore exigitur : & tu aliquan-
 » do conversus, confirma fratres tuos. Id
 » quidem modo necessarium. « Bern. Epis.
 190 ad Innoc. II. init. » Plenitudo potes-
 » tatis super universas orbis Ecclesiæ, sin-
 » gulari prærogativâ, Apostolicæ Sedi do-
 » nata est. . . . Potest, si utile judicaverit,
 » novos ordinare Episcopatus. . . . Potest
 » eos qui sunt, alios deprimere, alios su-
 » blimare. . . . In promptu est ei omnem
 » ulcisci inobedientiam, si quis forte reluc-
 » tari conatus fuerit, ibid. Epist. 131. « Ita
 » ille. Quid si addidero eandem fuisse sœcu-

lo decimo quinto sententiam magno illi Gersoni, quem nostri Febroniani tam gloriose venditant? Quid si ex ejus scriptis probavero illum Ultramontanis, ut aiunt, prorsus assensisse? Dicit enim in Tract. de Statibus Ecclesiasticis Confid. 3a. Status Prælationis Episcopalis habuit in Apostolis & Successoribus usum vel exercitium suæ potestatis. Sub Petro & successoribus ejus, tamquam sub habente vel habentibus plenitudinem fontalem Episcopalis auctoritatis. Unde & quoad talia minores Prælati subsunt Episcopis, a quibus usus suæ potestatis quandoque limitatur vel arcetur, & sic a Papa posse fieri circa Prælatos majores ex certis & rationabilibus causis non est ambigendum. Et postea in Dialogo de Potestate ligandi & solvendi. Cujus potestatis, (scilicet loquitur de potestate jurisdictionis) plenitudo residet penes Summum Pontificem, & est in ipso tota potestativè: ceteris vero per partes derivatur juxta determinationem legitimam istius fontalis & primæ potestatis, id est ejusdem Pontificis: indeque infert eum Prælati prohibere posse ne a quibusdam casibus absolvant, quod est circumscribere solvendi facultatem. Infinitus sim, & hæc nostra colloquia in immensum volumen ex crescant, si velim omnes omnium Patrum, Theologorum, Universitatum auctoritates, quas isti Sycophantæ hodierni depravant, aut certè reticent, uberiori ac copioius referre.

**Sacellanus. Quos nunc protulisti textus sunt figuratae aut ampullatae Patrum elocutiones, que rei substantiam non mutant (a).*

(a) Hebr. De Stat. Eccl. t. I. c. 3. §. 8.

(21)

Doctor. Hanc blasphemiam, Domine mi, a Febronio mutuasti; sunt illius, & Novatorum usitata subterfugia. Si quid dixerint Pontifices Romani, dixerunt scilicet, *Ita ferente humanâ conditione, quæ agrè intra legittimos fines sese continet (a); si Patrum testimonia non possint in sensum pravum detorquêri, mox ad ravim vociferant eorumdem elocutiones figuratas esse aut ampullatas.*

Comes. Quoniam nec Pontificum nec Patrum dicta aut facta sunt certa de summi Pontificis primatu judicandi regula, undenam ergo genuinam Ecclesiæ doctrinam poterimus adipisci?

Doctor. Vix crederes, Domine Comes. Nimirum ex ipsomet Febronio; nam nec ille nec novatores cæteri usquam sibi constant; continuo ut parvuli fluctuant & circumferuntur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris (b). Opponamus igitur Febronio Febronium; namque sic ille in suâ retractationis epistolâ ad Pium VI est palam professus: » In horum sequelam cum Patribus Concilii cœcumem» nisi Florentini agnosco, Romano Ponti» fici in B. Petro pascendi, regendi, ac» gubernandi universalem Ecclesiam a Do» mino nostro Jesu Christo plenam potesta» tem traditam esse. Sicut autem pascendi,» & regendi, potestas sine conveniente auc» toritate, jurisdictione ac coactione (ad» quam etiam, velut gravissima spiritualis» poena, pertinet excommunicatio, quoad» fructum & suffragia generalia separans)

(a) Ibid. (b) Ephes. IV. 14.

» subsistere non potest, sic talem a Christo
 » ipso promanantem in Romano Pontifice,
 » tanquam universalis Ecclesiæ Capite, Prin-
 » cipe, ac Magistro residere affirmo.
 » Profiteor quoque Romanum Pontificem
 » esse summum judicem controversiarum in
 » rebus fidei & morum. Addo speciatim
 » adversus errorem, tum veterum tum re-
 » centiorum Novatorum, fieri non posse, ut
 » a vero aberret corpus Episcoporum, qui
 » capiti suo Romano Pontifici adhærent;
 » sic hæresim Lutheri jam ante Concilium
 » Tridentinum ab Ecclesia, præeunte Pon-
 » tifice, per ejus oraculum ultimatò & irre-
 » vocabiliter damnatam fuisse «.

Comes. Herclè ! non sum apud me. O pravam
 hominum fidem ! an id est prospicere dum-
 taxat unitatis conservationi *hortatione* & *exem-
 plo* ? An tantummodo *supplere* aliorum ne-
 gligentia. An in aliâ Dioecesi nihil posse præ-
 terquam *extraordinario easi* ? An hoc est
 insuper non habere jus ferendi disciplinæ
 leges, quibus Dioeceses cæteræ accommo-
 dare se teneantur ? Ita ut si Romani Pon-
 tifices ligent, si solvant, si reservent sibi abso-
 lutiones, dispensationes, appellations, Be-
 neficiorum collationes, indulgentiarum elar-
 gitiones, temerario ausu involent in Episco-
 porum jura & prærogativas Apostolatui an-
 nexas. Profectò hæc non cohærent; si enim
 (quod est extra dubium) Primatū jure
 possunt Petri Successores, certè debent
 Episcopi ipsis subordinari. Jam autem subor-
 dinatio supponit jus imperandi; jus verò im-
 perandi nequaquam residere potest in solâ
 exhortatione aut in negligentiæ supplemento.
 Ergò vester Primatus tam lœvè & absurdè

(23)

intellectus tōto cōelo à Catholico Primate
aberrat.

Sacellanus. Scito, Domine Comes, non esse
confundendas rerum ideas. Distinguimus
enim inter Primatū primogenia & essentialia
jura, & inter ejusdem Primatū jura acceſ-
soria & adventitia.

Doctor. Et simul jura ista essentialia æque ac adven-
titia deſtruitis, cum juxta vos jura effen-
tialia non reſideant quidem primitū jure di-
vino in Pontifice Rōmano. Ait enim Fe-
bronius. » Ex his consequens est omnes
» Episcopos in sua iſtitutione, prævenien-
» do omnem humanam ordinationem, effe
» in potestate & auctoritate gubernandi Ec-
» cleſiam æquales, non tantum quoad ea
» quæ ordinis ſunt, ſed & quæ jurisdictione-
» nis « Ergo ad nihilum proſuſ redigentur
jura illa primogenia, ſi ab initio & ipſo
Apostolorum ævo nequidem extiterint. Er-
go corruit Caput, & simul Romanus Pon-
tifax, quem Hyeronimus propterea unum
inter duodecim electum fuiffe afferit, ut
*Capite constituto, ſchismatis tollatur occa-
ſio.* (a) Ergo Episcopi, non tantum æquo,
ſed potiori etiam jure quam Papa poſſunt
ſuam jurisdictionem exercere in omnibus
Christiani orbis partibus, ubicumque aut
necessitas aut utilitas requirit; ergo cum ju-
ra illa primitive Episcoporum ſint impre-
ſcriptibilia, nequaquam poſſunt a Romano
Pontifice reſtrīgi; ergo corruit unitas; ergo
denique ſchisma eſt inevitabile.

(a) Hyeron. Lib. 1. adv. Jovin.

Comes. Itaque nullis potitur Pontifex juribus primogeniis, & si quæ illi obtingunt jura, quæcumque sint illa, erunt planè adventitia, cum nec præscriptio, nec titulus quilibet possit juribus Episcopilibus officere.

Doctor. Expectadū, illusterrimē Comes, & audi reliqua ex eorum Antistite Febronio.

Comes. Medius fidius! Totus horreo! Quis furor, quæ insania hos rapit! Apage: nolim textus audire præterea. Nec abnuet Dominus Pastor. In his enim non astuta cavillatio, sed communis hominum sensus sufficit.

Doctor. Bona verba, quæso, Domine Comes. Exigit enim æquitas, ut adversariorum obiectiones sustineamus, & textibus respondeamus quibuslibet, si quam vim in illis esse infistam judicent.

Comes. Quid tibi videtur, Domine Pastor, nonne sufficienter exposuit nobis Dominus Præpositus istorum dissertatorum fallaciam & artes; quid ultra objiciendum occurret?

Pastor. Ohe! Comes illusterrimē! nos scholasticī, non sic statim causā cadimus. Alia sunt vibranda tela, priusquam demus vietas manus. Plurimæ nobis supersunt in pharetrā electæ sagittæ, easque tempore & loco depromemus.

Sacellanus. Cæterū haud diffitemur nostros libertatum Germanicarum assertores duriusculē de juribus primogeniis locutos fuisse; ast non item de adventitiis.

Doctor. Egregia profectō jura, quæ ad nihilum, planè rediguntur!

Sacellanus. Ad nihilum, ais, Domine Doctor? An nihil istud est quod reponimus in ex-

(25)
hortatione, in exemplo, in negligentiā sup-
plendā.

Comes. Næ tu, Domine Sacellane, istud ad nau-

seam repetes?

Doctor. Nihilum ea dico, quæ quilibet, cum ita
fuerit visum, flocci faciet impunè. Dic, so-
des, quandonam istud erit, ubi Episcopus se
reverà negligentem esse, aut exhortationi,
(nunquam admonitioni, aut increpationi)
locum dedisse fatebitur? Date mihi Episcopum
pervicacem & perditum, quales fuerunt v. g.
famosi illi Apostata Hermannus a Weyden &
Gebhrardus Truchses; num Romani Ponti-
ficiis precibus annuet? Num exhortationes
patietur? nonne potius Germaniae concor-
data, Imperii Comitia, Cæsarem ipsum appel-
labit? Nonne etiam seipsum ad Petri Cathedræ
altitudinem, & fastigium arroganter extolleth,
ut istam Cathedram, adversus quam non præ-
valebunt portæ inferi, concuriat, evertat, ex-
terminet funditus. Nonne tandem adsciscet
sibi ab epistolis Hedderichi, & supparum sec-
tatorum aliquem, qui Protestantis Moser ne-
fanda in Pontificem dicteria expileth, ut fece-
runt isti thesium, dissertationum, memoria-
lium, punctuationum redactores; ipsique
contumeliosa Antichristi, Mono-Episcopi,
bestiæ Apocalypseos, Vice-Dei, sacrilegi usur-
patoris, invasoris nomina prodiget?

Comes. Scelus! Refractis decori repagulis, omnia
extra numerum modumque faciunt. Sed ut
ut sit, satis superque patet primitiva illa &
essentialia jura, quæ Romano Pontifici benignè
adjudicant, esse merè irrisoria. Meo quidem
judicio hujusmodi jura, Christi verbis, Ec-
clesiæ decretis, Fidelium indoli, denique rectæ

(26)

rationi omnino adversantur. Sed de his satis ;
effluxit enim tempus ; & juvat in proximum
congressum interquiescere.

COLLOQUIUM QUINTUM.

COMES, REFERENDARIUS, DOCTOR.

Comes. Sub nostro colloquio, ne verbum qui-
dem protulisti, Domine Referendarie. Ut quid
ita conticuisti prorsus ? An nostrarum an illo-
rum partium sis, haud liquidè appetet.

Referendarius. Ex iis quæ audivi, etiamnùm
totus attonitus hæreo. A triennio eoque am-
plius, audio aulicos, a nostris Doctoribus an
illuminatos an seductos, Principis auribus
assiduè in clamantes » Serenissime, Ementis-
» sime, Regie Princeps, ne patiaris in erro-
» rem te induci. Rejice audacter commenta
» ab Ultramontanis facta. Noveris tandem
» ipse & quid sis, & quid sit Papa ? Tu
» Metropolitanus, cui plurimi subsunt Suf-
» fraganei. Tu & Apostolorum Successor par-
» consortio prædictus honoris & potestatis.
» Ille verò Romanus Episcopus, cui Prima-
» tus annexus est; nihil præterea. Verùm
» enim verò quid est ille Primatus ? Scilicet
» Primatus ille est 1º Ordinis, tum quia
» Petrus in Apostolorum recensione primus
» nominatur, tum quia necesse est ordinem
» etiam inter pares ab uno inchoari, con-
» sequenter unum primò appellari (a).

(a) Hoc est quod dicebat Saumafius in Præfatione de

» 2º Idem Primatus est etiam jurisdictionis :
 » sed cuiusnam jurisdictionis ? nempe jurisdictionis , quā tenetur aliis praefesse exemplo.
 » Item jurisdictionis quae in jure inspectio-
 » nis tantummodo sita sit , denique in jure
 » supplendi , cum alii officio desunt : quae
 » consequenter se non extendit nisi ad exem-
 » plum , ad exhortationem , & ad suavem ,
 » amicamque commonitionem.

Doct̄or. Inde quid miri , Domine Referendarie ,
 si ex tam falsis principiis concludant rese-
 canda esse omnia illa jura , quae ipsis nuncu-
 pare placuit accessoria , adventitia , & spe-
 cialissima , qualia sunt quae recensentur a Spitzo , §. 2. p. 3. » I. Jus confirmandi Episco-
 » pos. II. Jus consecrandi Episcopos. III Jus
 » transferendi Episcopos. IV. Jus deponendi
 » Episcopos. V. Jus admittendi Episcoporum
 » resignations. VI. Jus admittendi postula-
 » tionem. VII. Jus uniendo ac dividendi Epis-
 » copatus. VIII. Jus dandi Coadjutores per-
 » petuos. IX. Jus concedendi usum pallii.
 » X. Jus beatificandi & canonizandi. XI. Po-
 » testas approbandi Ordines Religiosos. XII.
 » Instituere novas Metropoles « Dicunt
 illa jura esse accessoria & adventitia , quia
 illa non ex divinā Institutione profluere , sed ex
 quadam acquisitione aut potius usurpatione
 oriri contendunt. (a) Quod ut probent ,

Primatu Papae » Reformatos Primatum tantum ordinis
 » in Papā agnoscere , quia ut in omni ordine Primatus
 » est , & primus semper datur aliquis ordinis , ut secun-
 » dus & tertius , ita & in ordine Episcoporum. »

(a) Plus concedebat Lutherus , Melanchtone teste ,
 qui scribit : " Utrum jure divino probari posset ecume-
 nici Pontificis Auctoritas ... Lutherus ecumenici

eruunt ex antiquæ Germaniæ ruderibus , imò
ex fictis Lutheranorum commentis , aut ex scri-
nisi supposititiis diversa avisamenta & grava-
mina hæresi & erroribus scatentia . (a) Dein ,
licet a factō ad jus non valeat argumentum ,
adducunt facta particularia , a nostro scopo
aliena , a circumstantiis sejuncta , ad rem non
pertinentia , truncata , depravata , conficta .
Illa Principibus suis obtrudunt , & falso ob-
tendunt » quā ratione , queis mediis , qui-
» busve artibus acciderit ut Romani Pon-
» tifices , quorum primus Beatus Petrus inops
» Piscator , (b) qui nec aurum neque argen-
» tum , nec sacculum habebat , neque peram ,
» ad eam pervenerint altitudinem , ad eam
» se se extulerint potentiam , ut eorum po-
» testas , non tantum contra omnes natio-
» num querelas , gravamina , atque Episco-
» rum & Principum confæderationes adver-

» Pontificis auctoritatem veneratur ac tuetur . De jure
» divino disputare voluit . « Saltem illi admittabant jura
Primatū ex institutione Ecclesiasticā emanare , Nova-
tores vero ista jura dicunt provenire ex quadam acqui-
sitione vel potius usurpatione .

(a) Gravamina centum fuerunt sub Adriano VI a Lu-
theranis confuta , & ad præludendum Emblemum punctua-
tionibus (ridiculum ridiculæ rei verbum !) Anno 1778
recusa Francosurti & Lipsie , ut probant optimè Anto-
nius Schmidt & Ignatius Schwartz .

(b) Ridicula & irreligious obseruatio facta , a Cas-
tello . § . 3 . p . 3 , An si iposmet Germaniæ Metropo-
litanos , pro sapientia potestate , thesauris , opibus , armis
superasceret Petrus , majorem inde naclus fuisse jurisdictionem ecclesiasticam ? Et tam putidas , tam insulias , tam
viro frugi indignas dissertationes patiuntur cordati Ger-
mani ! Imò alcubi conqueruntur quod Pius VI non
alio stylo scribat magnis Germaniæ Metropolitis , quam
si cum parvulis Italiæ Episcopis per litteras ageret . So-
lida & probrofa objectatio ! quasi inferioris ordinis
essent quantum ad Hierarchiam .

(29)

» suis ejus abusus , excessus , & usurpationes
» initas immobilis persistere potuerit atque
» invicibilis , imò ut sese omnibus tum Epis-
» copis tum Principibus reddiderit formida-
» bilem . «

Referendarius Ita adulatores illi Principibus præ-
sertim Ecclesiasticis entuntur sub majoris
auctoritatis prætextu persuadere ut Romanæ
Sedis jugum excutiant , & sic in usurpata fibi
jura quasi postulimino revertantur.

Doctor. Vel ut verius dicas , ut schismà palam
consumment.

Comes. O ! facinus indignum ! O ! homines probro-
sos , & proscus execrando ! Tu autem ,
Domine Referendarie , quid de his novita-
tibus censes ?

Referendarius. Ex jam dictis incipit veritatis radius
mentis meæ oculos percellere . Satis appareat
quousque mala fides hos adulteratores dirigat
in reticendis , depravandis aut detorquendis
factis & textibus .

Comes. Sanè nollem ego istis vanis citationibus
respondere . Ad quid enim inferire possunt ;
nisi ut fucum faciant ? Convincendi sunt potius
a ratione ; quam tandem , si insano furore in
Romanam Sedem perciti , respuant sycophan-
tæ isti , ædopol mox ad molam mittendi sunt .

Doctor. Nequaquam , Illustrissime Comes . Leniter
enim cum ipsis est agendum , ut rescipiant .
Quippe ita sunt homines comparati , ut mol-
libus remedii melius allicantur , certiusque
fanentur . Ii præsertim , quos superbia & per-
vicacitas alit , procul dubio contra asperi-
tatem obdurarentur .

Referendarius. Faxit Deus ut errores suos depoⁿnt ! Sed eheu ! piorum Principum vices doleo quam maximè. Adeò sunt ab istis Doctoribus subdolis & ab aulicis assentatoribus subornati , ut se putent jure suo uti , & obsequium præstare Deo , dum miserrimè Sedem Apostolicam convellunt. O si meum clementissimum , amantissimumque Principem eorum vinculis irretitum liberare queam , velamente quod ipsius oculis obduxerunt , detrahere ! in id certè totus incumbam ; sed ut assecurar , opus est maximè ut vestris colloquiis intersim assidue , & insuper , ut si quid minus cogitatione comprehendero , Dominus Præpositus privatis Colloquiis diffusius explanet.

Doctor. Mea tibi non deerit opera.

Comes. Hoc tuum propositum est viro christiano dignissimum.

COLLOQUIUM SEXTUM

*COMES. REFERENDARIUS. DOCTOR. PASTOR.
SACELLANUS. LECTOR Minorita.*

SACELLANUS. Non ægre feretis , Domini ; si Patrem ordinis Sancti Francisci conven tualem , juris Canonici Lectorem huc introduxero . Vir est certè nequaquam spernendus , imò omni existimatione dignus.

Comes. Tua commendatio , Domine , satis nos inducit ad eum libenter admittendum . Tibi haud dubie suppetias feret ?

Sacellanus. Pater Lector est mihi amicus usque ad aram , nec in ejus verba juravi , ideoque illi

non assentiar nisi quantum & ratio & jura
ferent.

Doctor. Quidquid sit, Reverende Pater Lector,
scias velim quam ob rem huc conveneri-
mus hodie, nimis ut de juribus Papæ ad-
ventitiis differamus.

Sacellanus. Id ipsum est uti dicas, Domine Prä-
posite. Sed tamen prius respondendum restat
textui nuperrimè allato, nec satis enucleato,
de divisione ordinis & jurisdictionis Episco-
palis quæ Febronio ejusque sequacibus vide-
tur mera Episcopalis dignitatis dilaceratio.

Doctor. Audire juvat, Domine quomodo textum
illum sis propugnaturus?

Sacellanus. Quasi res haberet multum difficulta-
tis? Nonne Episcopi in suâ ordinatione re-
cipiunt potestatem radicalem tam ordinis
quam jurisdictionis?

Doctor. Recipiunt utique! quid, tum?

Sacellanus. Nonne ista potestas tum ordinis tum
jurisdictionis est inseparabilis?

Doctor. Est equidem, si ista potestas intelligatur
de illa radicali & inchoatâ potestate quam,
vi suæ ordinationis, recipiunt Episcopi, &
quam Theologi vocant in *actu primo*; non
autem si intelligatur de potestate proximâ
& completâ sive in *actu secundo*. Docent
enim Catholici ad unum omnes istam potes-
tam non esse ab exercitio inseparabilem;
quia exerceri non potest nisi accedat jurisdictio
circa portionem gregis, quæ vi canonicae
institutionis fuit Episcopis assignata. Unde hæc
potestas aut jurisdictionis, quæ non datur per
solam ordinationem, potest a superiori Ec-

clericalis vel modificari , vel suspendi ;
v. g. Dentur Episcopi absolute ordinati
aut mere titulares ; item Episcopi Episcopatu
suo dejecti , aut qui legitimè renunciarunt
illi certe carent jurisdictione , quam tamen
habent Episcopi confirmati , etiam antequam
ordinentur.

Referendarius. Pace tuâ dicam , Domine. Non
ita censem Theologi nostri & assentatores
aulici. Percurrunt omnia retrò sœcula , &
innumeris exemplis demonstrant primitivam
Ecclesiam agnoscisse in Episcopis potestatem ,
omnino eandem quam habebant apostoli ,
quorum successores se prædicant.

Docto[r]. Quæ Dominus Referendarius allegat ,
aliquam explanationem exigunt. Itaque dico
primo Apostolis succedere Episcopos quan-
tum ad potestatem radicalem generalem &
indeterminatam regendi , quam in ordina-
tione acceperunt , sicut Sacerdotes per ordi-
nationem recipiunt quoque potestatem gene-
ralem & indeterminatam prædicandi & ab-
solvendi ; verum quis ignorat istam potesta-
tem semper remanere ligatam , quamdiu non
reducitur in actum accidente jurisdictione ?
Hæc autem jurisdictione confertur per designa-
tionem subditorum. Itaque Potestas ordinis
eadem est & æqualis in omnibus , nec de-
legari potest neque amitti & confertur sine
subjectâ materiâ : Potestas vero jurisdictionis
nequit esse sine materiâ certâ & determi-
natâ , & augeri , minui , delegari , suspendi
potest , imò adimi. Quapropter ista secunda
missio est mere Ecclesiastica , & secundum
loca & causas restringitur per leges & usus ,
nec non ext enditse ultra Diœcesos suæ fines ;
ita

ita ut si Episcopi quidquam ultrà attentare vellent, id prorsus nullum foret. Et tamen (ridiculum!) sic circumscripti haberent potestatem illimitatam? Risum teneatis amici!

Dico secundò falsum esse illud, quod subdolè adstruunt, nempe Episcopos esse Apostolorum successores. Vellem enim mihi indicarent cuiam Apostolorum successerint Archiepiscopi, v. g. Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis, Salisbutgensis? An Joanni, an Andreæ, an Matthæo? Quis crederet Joannem, Andream Matthæum vocatos & missos ab ipsomet Christo, cuius vitæ testes ac Doctrinæ auditores erant, fuisse præcisè Episcopos, & nihil amplius quam quod sunt illi hodierni Germania nostre Præsules, quorum Episcopatus erectus fuisse cognoscitur sub hoc aut illo Pontifice Romano, qui istas Ecclesias fundaverunt, illucque Sacerdotes & Episcopos miserunt cum designatione subditorum, certis terminis definitorum, circa quos suam jurisdictionem exercerent.

Hoc ipsum Febronius, ubique sibi contradicens, hic ultrò fatetur his verbis.
 » Quod autem is, qui Ecclesiae totius caput erat, in urbem totius orbis Dominum nam per venerit, ibique sedem fixerit suam,
 » singulari divinæ providentiæ consilio factum videtur; ut scilicet ipse ejusque successores, inde quasi ex sublimi loco, excubias agere, & munera sui partes commodius implere possent (a). Nunc vero Episcopi hodierni, post quintu[m], decem aut sexdecim saecula, Matri

(a). Febr. Lib. Sing. t. I. p. 102.

suæ jugum excutient, & prædicabunt se Apo-
 tolorum esse successores? se Apostolicæ po-
 testatis plenitudine frui? ita ut duodecim
 illi Christi Ecclesiæ fundatores, ne quidem
 majorem aut pleniorum habuerint potesta-
 tem, præ quam nunc habent Episcopi &
 nominatim Archiepiscopi in suis respectivæ
 Dicecibus. Hoc jam idem dixerat in suo
 opere de Republicâ Christianâ apostata An-
 tonius de Dominis, quem Universitas Pa-
 risiensis suâ censurâ confixit anno 1617, de-
 clarando propositionem, quâ ille afferuerat
 Romanam Ecclesiam jure divino auctoritatent
 in alias Ecclesias non habere, hæreticam esse
 & schismaticam. Hoc idem confirmavit ea-
 dem Universitas his verbis anno 1683. An-
 tiquæ suæ in Sedem Apostolicam reverentia
 esse duxit (Facultas) hic brevi de eâ præfari,
 discribique repetere, quod olim non semel pro-
 fessa est, ROMANUM EPISCOPUM ESSE
 JURE DIVINO SUMMUM IN ECCLESIA
 PONTIFICEM, CUI OMNES CHRISTIANI
 PARERE TENEANTUR; ET QUI IMME-
 DIATE A CHRISTO NON HONORIS SOLUM,
 SED POTESTATIS AC JURISDICTIONIS
 PRIMATUM HABEAT IN TOTA ECCLESIA.
 Idem definit Facultas Theologica Colonien-
 sis, cum ab Archiep. Ferdinando interroga-
 ta super libro præfato de Rep. Christianâ,
 declaravit Libro revoluto & Spiritu veri-
 tatis solemnî ritu invocato, totum quidem
 illum veluti hæreticum, schismaticum, scan-
 dalosum ac seditionis abolendum & extir-
 pandum.

Leîlor. Noster eximus Pater Hedderich consulatur
 modò; nullus illo melius Germaniæ jura evin-

Eit ab antiquis retrò temporib⁹ usque ad Emilianum conventum. Quām luculenter in dissertatione de juribus Germaniæ 6 Maii 1788, positione 2., suam mentem his verbis exposuit! « Quæcumque principia ac jura ab Ecclesiâ Germanicâ, & Imperio communī con-sensu publico sunt agnita & recepta, queis potestas Episcopalis intuitu Pontificis determinatur, ab omnibus Germanis sanctè sunt custodienda, ut illis neque per Concilium generale, neque solā summi Pontificis auctoritate, neque per Imperatorem solum, nec per status Imperii singulos, sive seculares, sive Ecclesiasticos possit præjudicari, sine consensu publico totius nostræ nationis ».

Doct⁹r. Quem nobis virum laudas? Ecquis est igitur ille Hedderich?

Lector. Hominem non nosti totā Europā notissimum? quippe qui in universitate Bonnenſi est Doctor Doctorum doctissimus.

Doct⁹r. Ut scias illum mihi esse nimis notum, accipe quæ de ipso scripsit ad Archiepiscopum Coloniensem Pius VI, 30 Augusti 1783. Ubi de Academiæ Bonnenſi erectione, & de finistræ doctrinæ suspicione agebatur. « Ipse nihil attulisti, quo nostram hanc sollicitudinem sublevares; quæ tanto magis nos angit hoc tempore, quo isthic florere apud te audivimus Hedderich illum, cuius ejusmodi quædam sententiæ thesesque pervulgatae sunt, ut facile intelligi valeat, plurimam inferri labem adolescentibus ab eo posse, ut multo potius effet, magisterio illos carere, quam talibus imbuī disciplinis. Hinc agnoscis approbari a nobis nullo modo

» posse Academiam ullam , in quâ canonum
» cum jus vel aliam scientiam quamlibet ille
» profiteatur . » Quid ad hæc , Reverende Pa-
ter Lector ?

Lector. Nihil omnino , nisi quod summus Pontifex
de sententiâ deceſſit , dum Imperatoris pre-
cibus annuens , hanc tandem Academiam ap-
probavit , prout pervulgatum est in nuntiis
publicis .

Doct̄or. Sed non fuit additum , nec tu addis ipſe ,
quod celari haud oportuit , nempe approba-
tionem illam fuisse quidem concessam , sed
sub hâc exprefſâ exceptione , ne Hedderich
in hâc Academiâ unquam profiteretur , imò
ne admitteretur quidem . Utrumque nihilō-
minus , præter fidem datam , confectum est ,
cum summâ summi Pontificis injuriâ .

comes. Indignum facimus ! Viden' , Pater Lector ,
quâm apprimè Præpositus noster rēſciat
omnia quæ ad Hedderichum attinent .

Lector. Tamen nemo ibit inficias , quin sit vir in
factis antiquorum temporum versatissimus .
Nihil non pervolvit . Omnia scrutatus est .

Doct̄or. Omnia scilicet falsa , adulterata conficta .
Lege apud Clarissimum de Buininck , quâm
protervè multaverit juris Ecclesiastici syntag-
ma Catholicum , auctore P. Schenlk Salisburgi
editum ? quâm scelestè veterator ille aureum
illud opus calami sui toxico infecerit , & ex
omni parte è Catholico schismaticum reddi-
derit , edi ionem adulterinam Coloniæ ador-
nando , i amque sub suâ impudenti censurâ
vulgando Lege apud Dominum Liliendahl ,
quomodo Concilia , Patres , Doctores , ip-
suminet C bassutium & Thomassinum , ut eos

in suas partes detorquēret, pessimē depravā-
verit? quam ineptē pessimos Febronium &
Pereriam, peiores reddiderit? Lege apud Ful-
gentium de Verita, quomodo retegantur ejus-
dem Patris *affestationes, amphibologiae,*
ineptiae, tricæ, strophae, argutiae, sophismata,
fallacie, fictiones, interpolationes, deprava-
tiones denique? Lege ejusdem Hedderich con-
fessionem publicam, in quâ universa ejus
facinora palam divulgantur?

Lector. Ejus eruditionis raræque, quâ apud Prin-
cipem pollet, gratiae æmulatores hæc tela in
ipsum vibrant. Hanc sibi ille conflat invidiam
non tantum ob meritum eminens; sed etiam
quia habet jura Ecclesiæ Germanicæ ex pro-
fesso defendenda.

Doctor. Habeat! Quid tūm? An ideo hæreticorum
more errorem debuit tueri, congestis undique
mendaciis! an falsarii crimen oportuit perpe-
trare? An Pontificias Litteras, quibus Pa-
palem auctoritatem extenuaret, fabricare &
sycophantias inauditâ procacitate struere?

comes. Hæccine credas, Domine Doctor? Quippe
tam enormia facinora fidem excedunt.

Doctor. Verè sunt supra omnem fidem. Fecit ta-
men ille mendaciorum architectus, & lit-
teras pontificias, a se per summum crimen con-
fictas, obtrusit optimo Principi, quasi illas
ex Archiepiscopatus scriniis extraxisset. Has
videre est in Memoriali seu *Pro Memoriâ*, quod
ad supremum Imperii Tribunal Ratisbonam
transmisit Archidux Maximilianus Coloniensis
Archiepiscopus, ab isto impostore miserè lu-
dificatus.

Referendarius. Vidi equidem Bullam illam Paulo II,

ni fallor, adscriptam. Et haec eadem Bulla
falsa & ficta foret?

Docto^r. Falsissima quidem & dolosè fabricata;
quod ut ipse evidenter sentias, accipe in Fra-
tris Hedderichi *specimen animadversionum Pla-*
centiae impressum; ibi cognosces hominis per-
fidiam. Inter alia, adyertes notam ab editore
insertam, quæ sic habet. *Hic niempe aperiè se*
prodit noster fallaciarum architectus, & famo-
sum aut fabulosum *Isidorum mercatorem seu*
peccatorem adulteratione longè superat. Etenim
quæ unquam Aula, Bonnenſem si excepisis,
tot & tanta aded ambitioſe appetiit? Heus!
heus! vos compello Suffraganeos & Capitu-
lares! horum verborum vim, visitandi Dioceſim
Suffraganeorum, eorum electionem dirigendi,
serid perpendite! Attendite quām studiosè ex
obſoletiſ remotiſſimi ævi ſcriniis reclusa fuerit
& eruta virga illa ferrea: Visitandi Dioceſim
Suffraganeorum.... Et quod magis stupendum,
dirigendi eorum electionem! Quasi vero Ar-
chipræſuli indulſeffet Sanctissimus, quod ſibi
vindicare nunquam fuifſet aūſus? Id enim ſi
attentaffet, quot ſlatim ora, nec immerito claz-
maſſent & Concordata violari, & libertatem peſ-
ſundari? Nunc igitur quid? an fortè Germa-
nica libertatis affertoribus inviſum minus, ſi
haec eadem libertas ab Aūſtriaco Principe con-
culcetur? ſi elec̄tiones auðioritate dirigantur? ſi
demum iſſula, aspirante præpotentis favoris
aurā, ſecundūm Metropolitæ placita, deinceps
impertiantur.

Referendarius. Quid huic nefando partui obje-
runt Catholici?

Docto^r. Simul ac tenebroſum iſtud opus in lucem
produit, perculta eſt & conſternata Romana

(39)

Cutia. Nec mora. Et in Datariâ, & in Vaticano & ubique compulsa sunt tabularia, scrinia, Bullaria denique omnia, nec quidquam hujusmodi est repertum. Tandem anxiam Præfulum curam levavit orbi toto cognitus Pater Zaccaria, dilucidè probando in suo animadversionum specimine, Bullam illam fuisse a scelesto Hedderich excusam. Tu ipse judica, Domine, quibus poenis multandus sit vafer ille Sancti Francisci Ordinis notus, qui dum continuò in Isidori spuriis merces invehitur, ipsem Principis tam clementis, nec talia merentis æquitati ac religioni audaciùs imponit, ejusque fiduciâ turpiter abutitur.

Referendarius. Hoc certè Specimen legere lubet, & quidem hodie, antequam cubitum me recipiam. Spes mihi est fore ut benignissimum Principem meum, tempore & loco opportuno, convincam de tam inaudito facinore. Deinde nullum non movebo lapidem, donec ipsimet Colonensi Antistiti innotescat, quam foedè ab illo sacrilego illudatur.

Sacellanus. Quam sceleris sui poenam luit venerator ille?

Doctor. Omnipotens nullam; immo ad dignitates & honores subito fuit electus. In præmium suæ fallacie, Archiepiscopo etiamnum incognitæ, Academæ Magnificus Rector est renuntiatus. Eius sacrilegus complex & discipulus Wermer, Collegiatæ Decanatum, pro criminis stipendio, retulit. Interim delusus Serenissimus Archiepiscopus, spuriam illam Bullam bonâ fide ad Comitia Imperii misit, ut eremita Metropolitana jura assereret. Sed cum nihil est absconditum, quod non revelabitur, spes est fore, ut tandem, Domini Referendarii operâ,

C 4

intolerandam illam turpitudinem resciat , &
a scelesto poenas reposcat debitas.

Referendarius. Sed ad quem istam Bullam fuisse
missam tradit ille verisipellis?

Doct̄or. Nemp̄ ad Rupertum Coloniensem; dum
paucis abhinc annis duas Bullas dederat Eu-
genius IV , quibus Theodoricum Archiepis-
copum condemnabat, eò quòd jus sibi in Leo-
dienses , eorumque Episcopum , utpot̄e Colo-
niensis Metropolitanus Suffraganeum, sibi arre-
garet. Confirmatae sunt hæ duæ Bullæ ab Im-
peratore Maximiliano ; dein ab ejus Filio Ca-
rolo V. Nulla autem ullibi facta est mentio ,
de Bullâ illâ incredibili , in quâ contradic-
toriè ad Bullas recentes Eugenii IV , & per
inauditam privilegiorum exaggerationem , Ar-
chiepiscopis Coloniensibus dat Pontifex , quod
nemini hominum concedere potest , nemp̄
VICEM SUAM tam in Episcopatu Coloniense
quam super omnes Suffraganeos suos.... JUS-
QUE OMNES APPELLATIONES A SUFFRAGA-
NEIS RECEPIENDI , Synodos convocandi , eis pra-
sidendi , VISITANDI DIACESIM SUFFRAGA-
NEORUM , ET EORUM ELECTIONES DIRIMENDI.

Comes. Patere , Domine Præposite , ut curiosi-
tatis ergò te tantisper interrumpam. Porro
dic mihi cujas sit igitur Hedderich ille?

Doct̄or. Adi Dominum de Buininck , & scies cujas
aut quis fit , & quid fecerit? Næ illum , nec
ineptè , conferas cum famoso illo Patre Nor-
berto , dein Abbe Platel. Primò vocabatur
FRATER , postea PATER Philippus , nunc
Fratri & Patris nomen exuit , mox nuncu-
pandus DOMINUS. Apud suos Theologiam
nequidem docuit inter privatos parietes ; imò

(41)

Doctorali laureâ nullibi fuit insignitus. Ille ipse est qui sibi Doctoris nomen arrogat, & superbè se dat in conspectum, horologium gestans, manicis holosericis tectus, in popinis hærens; commessonibus, mero, chartis luforiis tempus frangens, & sapius è tabernâ temulentus prodiens, suggestum rectâ petiturus, ibidemque in Romanorum Pontificum facta ferociter debacchaturus (a). Vide plura apud Buininck, Liliendahl, de mille animabus, &c.

Comes. Nempè defensoribus istis, per Germaniam grassatur hæresis & prostrata Religio jacet!

Leitor. Nihilominus independenter a Bullâ supposeditiâ, & ab objectatis Heddericho nostro probbris, ejus positio stat semper vera; nempè Primum solummodo institutum esse, ut conservetur in Religionis essentialibus unitas.

Sacellanus. Mihi sat probasse videtur Dominus Præpositus alium etiam esse Primatûs finem, quam unitatis conservationem. Ideoque illum Primum non contineri dumtaxat in Religionis essentialibus. Etenim quænam sunt ista Religionis essentialia?

Doctor. Sunt fortè illi articuli, quos Spalatensis apostata Fidei fundamenta vocabat; quasi unica tantum unitas, nimis unitas Fidei, foret necessaria, nec ullo modo requireretur charitatis & conjunctionis unitas. Profectò unitate charitatis & conjunctionis deficiente, schismata oriri necesse est.

(a) Cuidam Doctori Lovaniensi, cui nomen est Le Plat, spâ in Papam rabie haud abfimilis.

(42)

Sacellanus. Non mea est simulatio : quippe verus sum , & fide ago sincerâ. Itaque candidè facto r , me tibi hâc in re assentiri omnino non posse : etenim quomodo Ecclesiæ corpus unitatem servet , nisi cum Ecclesiâ Romanâ maneat unitum , tum sensuum conformitate , tum perfectâ omnium suorum membrorum subordinatione (a) ?

Doct̄or. Legatur *animadversionum specimen* ; ex quo satis apparebit , quomodo veterator ille ex-minorita Melchiorem Canum depravet , hæresim sapiat , & facta , annos , sœcula , jura , textus , omnia confundat denique .

Lector. Saltem secundæ positioni nil quidquam potest opponi.

Comes. Qui fit , Reverende Pater , ut necdum te victori permittas , postquam punc̄tum primum plane confutatum vides ? vin' igitur reliqua æquè diluantur ? Fiet ut cupis. Cæterū jam nimis protractum est hoc nostrum Colloquium ; Reliqua intra quatri dūum remitteremus ob quædam negotia , quibus nefas mihi est supersedēre. Saltem , Reverende Pater Lector , cura ne imparatus veneris ; nam , quantum conjicere valeo , Dominus Præpositus , non facile dextram dabit. Tu autem , Domine Sacellane , si ex facie judicem , non omnino vidēris à Domino Præposito alienus.

Sacellanus. Virum Doctum nobis promiseras , ilustrissime Comes , & promissis stetisti.

Comes. Verum an te cum Romano Pontifice reconciliat vir ille peritus ?

(a) Ita Eminent. de Bifly. in Pastoral. Instruct. 1723.

(43)

Referendarius. Satis vides, Domine Comes, quām attentas aures ipsi præbeamus; nec profectō nobis mens est tam feliciter incæpta Colloquia dirimere.

Sacellanus. Utiquè, si haud placerent, multiplices prætextus ad ea abrumpenda nobis abundē suppeterent. Verum patienter feras: ita est enim humanum ingenium, ut diū luctandum sit antequam de opinione decedamus, & præconceptos errores deponamus.

Comes. Id, opinor, ocissimè fiet. Valete.

COLLOQUIUM SEPTIMUM

COMES. DOCTOR.

Comes. Aut fallor, aut nostri Antagonistæ, & Lector ille præsertim, tuis è manibus cuperent evasisse.

Doctor. Ut quid ita, Domine?

Comes. Quia nihil habent replicandum.

Doctor. Quin potius credas, Illustrissime Comes, ipsis volupe esse instrui & veritatem agnoscere? Est certè quod eorum vices doleamus: nempe in hoc Rheni tractu, ubi omnia principia sunt subversa, nihil haec tenet audiverant, nihil legerant, nisi quæ orthodoxis principiis & Ecclesiæ Romanæ Juri bus rectâ aduersantur. A Summorum Pontificum conviciatoribus dolosè præoccupantur, illisque prius assentiuntur, quām sufficienter noverint quis sit rerum status. Itaque necessè est omnibus eorum objectionibus satis-

facere ad amissim, ut nullum hâc super materia
ipfis supersit dubium, atque manifestum fiat
quantum à vero aberraverint. Quamobrem,
si planè non fuerint convicti, insitas menti
opiniones nunquam exuent.

Comes. Equidem omnia tam dilucidè resolvis,
ut certò certius veritatem fint amplexuri.
Cum recordor Sacellani continuò dogma-
tisantis furorem, non possum quin exclamem,
quantum mutatus ab illo! Cæterùm
illis nequaquam subolet quis sis; nec mihi
est pœnitendi locus, quod ad hoc iter sus-
cipiendum te induxerim.

Doctor. Etiam si sterile foret ab eorum pertina-
ciâ, nihilominus erit semper meritorum a
fine & rectâ intentione, quæ te impule-
runt, Domine Comes, ut eis lumen suppe-
ditares.

Comes. Interim occurrit aliquid tibi proponen-
dum novi. Quidam Ordinis Teutonici Eques,
Commendator & legionis Praefectus seu, ut
aiunt Colonellus, duobus milliaribus hinc
commoratur. Mihi litteris significavit se ob-
valetudinem adversam non posse hic veni-
re. Id, ut vides, invitationi expressæ æqui-
valet; te, si ita placet, habebo Comitem
cum Domino Referendario, qui homini-
nem apprimè novit.

Doctor. Ad nutum tuum me fingo.

Comes. Haud dubiè de nostris colloquiis ali-
quid inaudierit. Illi libenter est sermo de
Germanicis Concordatis, imò de Nunciaturis,
de Conventiculo Emsiano, & aliis
nunc in his-ce regionibus agitatis. Velle,
ut ait, Romanae curiæ jugum excutere. Cæ-

(45)

terà vir est ad omnem urbanitatem excul-
tus, qui te humanissimè excipiet, & bene-
volè audiet. Cras si nihil obstet, nos illuc
conferemus.

Doctor. Faciam ut vis, Domine Comes.

COLLOQUIUM OCTAVUM

*COMES, COMMENDATOR, REFERENDARIUS,
DOCTOR.*

COMMENDATOR. Tædet me, Domine Comes, quod ex ædibus prodire nequeam, ut vestris colloquis interfici.

Comes. Id ræscivisti scilicet? Parochus meus, cum Sacellano Bonnenſi & novissimè cum Lectori quodam Minoritâ, hæc colloquia ha-
bent unâ inter & Dominum Præpositum, quem huc tibi adduco. Dominus Referen-
darius amicus noster hæc eadem colloquia cohonestare suâ præsentî dignatur. Itaque omnia absque apparatu & strepitu transfi-
guntur inter privatos parietes.

Commendator. Sacellanus ille hæc mihi ex ordi-
ne narravit. Dominum Præpositum magno in pretio habet, nec satis exprimere valet,
quād dilucidè jura disceptata resolvat.

Præpositus. Mihi nimiùm favet.

Comes. Tu verò Domine Commendator, pro more tuo commodè nugaris, tum de motis Summum Pontificem inter & Germaniæ Archiepiscopos controversiis, tum de con-
venticulo Emiano & quinquennali indulto,

(46)

tum denique de novis , in Ecclesiarum Metropolitanarum regimine , prætensionibus (a) .
Nos autem rem serio tractamus.

Commendator. Dicam tibi , Domine Comes , quomodo circa hæc me habeam . Ante istas rixas Catholicus eram , nec abhinc fidem negavi .

Dotor. Sed si rixæ illæ unitatem Ecclesiæ prorsus rescindant ? Si Pontificis Romani Primum funditus destruant ? profectò nutas in fide Domine Commendator , dum res tam graves nugarum loco habes .

Commendator. Credis igitur Romani Pontificis prætensiones esse totidem fidei articulos ?

Dotor. Saltem credo consequentias , quæ ex Archiepiscoporum prætensionibus & ex thesibus ad prætensiones illas fulciendas malignè contextis profluunt , rectâ ducere tam ad schisma , quam ad Ecclesiæ eversionem , proindeque ad Fidei jacturam .

Commendator. Ego adeò profundè non differo . Quasi audire , legere , perscrutari & rimari tenèrer quæcumquæ in utramque partem declarerant !

Dotor. Saltem non deberes primâ specie sententiam illam amplecti , quæ Primitui Petri & Ecclesiæ unitati repugnat maximè . Etenim conscientiam tuam excute tantisper , Domine . An sic agendo te coram Deo excusabilem reputare audéres ? Esto : vestri

(a) Parcat Lector fabricato verbo . Illud ex Febronio & neo-Doctribus usurpavi ; ut pateat quām barbare scribant adversus Romanum Pontificem .

Archiepiscopi a novatoribus pestiferis seducti , aliter sentiant . Quid tum ? An vestri Archiepiscopi , quia bonâ fide agunt & aequum tueri se existimant , ideo sunt irrefragabiles ? Nonne , quamvis præter voluntatem , injuriosos se præbent erga Romanum Pontificem ? Nonne Jurisdictionem , quâ nunquam nisi juxta Ecclesiæ Leges , & cum debitâ Pontifici subordinatione potiti sunt , sibi perperam arrogant ? Nonne novis in dies injuriis Nuntium Apostolicum laceffendo , jusjurandum præstitum violant (a) ? Et Catholicum te reputabis , Domine Commandator , tot usurpationibus & sacrilegiis assentiendo ?

Commendator. Evidem non minus quam antè Catholicum me existimo .

Doctor. Patere , Domine , ut tibi memoriam revocem celebratissima Cardinalis Juliani verba . » Omnia Doctorum una vox est , » salvare non posse , qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ non tenet unitatem , omnesque

(a) Juraverunt enim super sancta Evangelia his verbis : Legatum Apostolica Sedis , in eundo & redeundo , honorifice tractabo & in suis necessitatibus adjuvabo . Pontif. Roman. Quanto igitur dedecore , quam in honestâ labe optimum Principem Maximilianum consenserunt aulici assentatores illi Bonneuses , cum illum inglorie , & certò certius ingratias suis induxerunt , ut præter fas & jusjurandum , Archiepiscopum Damiatensem ad tractum Rheni Sanctæ Sedis Nuntium Apostolicum , virum cætera suis - meritis infirmem & in millibus unum , extraneum , mercenarium appellaret , ac indignissimâ repulsa a fe injuriose ac turpiter arcere . Hæc agendi ratio erga Sultani aut Marrochii Regis Legatos , esset contra jus gentium ergo insuper & contra jus Religionis adversus Nuntium Apostolicum . Eo instanti populerunt nimis credulum , sed benignissimum Archiepiscopum !

» illas virtutes mancas esse ei, qui summissio
» Pontifici obedire recusat, quamvis in
» sacco & cinere jacens, dies & noctes
» jejunet & oret, & in cæteris videatur
» legem implere; quia melior est obedientia
» quam victima, & omnis anima potest
» sublimioribus subdita est, &
» Romanum Praesulem in Ecclesiæ vertice
» constitutum esse constat, a quo nullam
» ex Christi ovibus exemptam esse no-
» vimus « (a).

Commendator. Id equidem non contestor. Verum dic mihi, quæso. Quid Germaniæ Concordata, quid Romani Pontificis jura seu primitiva seu adventitia faciant ad fidem? Quasi in his omnibus non ageretur de Disciplinâ Ecclesiasticâ, in quâ omnes Episcopi, ut potè Apostolorum successores, omnia pro arbitrio suo dirigunt, in suâ quisque Dioecesi.

*Docto^r. Ben^e quidem. Papam infra Episcopos
deprimis, Episcopos autem supra Papam
extollis. Hic nullius est auctoritatis, quā Pon-
tis^fex : Illi sunt in Episcopatu omnipotentes.
Habe igitur, Domine, quomodo sit ac-
curatē loquendum. Episcopi sunt Apostolo-
rum successores in Episcopatu, non autem
in Apostolatu, & siquam in Dicēcesibus
suis Jurisdictionem exercent, hæc Jurisdic-
tio, quæ radicalis, inchoata & ex parte
principii activi collata est solā ordina-
tione, non fuit totalis & completa, nisi
postquam ipsi designata est gregis portio*

(d) Schelstraten. *Ann. Eccl.* tom. 2, Diff. VI, c. V.
regenda

Regenda quae designatio fieri debet ab Ecclesiâ, id est, a Christi in terris Vicario.

Commendator. Hoc non satis intelligo.

Doctor. Id paucis verbis planum faciam. Cum Dominus Commendator, olim Legionis Praefectus aut Tribunus, seu ut aiunt, Colonellus renunciatus est, tunc Collonelli gradum inter aquales occupabat, licet ne vel unus miles aut Centurio esset cui, quia Colonellus jussa daret. Ut autem Legioni (vulgò Regimento) cuidam praefest, necesse fuit ut istud Regimentum seu Legio a Principe Domino Commendatori designaretur. Aliter, etiamsi anteà verè Colonellus erat, nullam tamen Jurisdictionem habuit, nisi postquam Regimentum ipsi fuit demandatum.

Commendator. Parce pluribus. Hec enim pauca sufficiant, ut capiam totum discrimin quod reponitis inter ordinis & Jurisdictionis potestatem. Attamen cum Episcopi suâ demum Jurisdictione potiuntur, nonne tunc suas Dioceces pro arbitrio suo regunt.

Doctor. Nequaquam, Domine Commendator. Id enim si existeret, brevi per Universam Ecclesiam stupenda varietas introduceretur; caput subiiceretur membris totque essent Ecclesiæ quot sunt Dioceces, adeoque Ecclesia non amplius esset una; sicut a pari, si Colonellus quilibet pro libitu Regimento jussa daret, mox exercitus dilaberetur.

Commendator. Quot tamen Episcopi, quot Sacerdotes & Religiosi in nostra hac Germania idem atque ego sentiunt; scilicet,

dicunt Episcopos posse immo teneri Ecclesiastas suas regere, nullâ Pontificis Romani habitâ ratione.

Doctor. Adeoque vana erit hæc nostra Fidei Professio : Romano Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac Juro (a). Item inane erit juramentum illud quod in suâ consecratione pronuntiant Episcopi cum dicunt : *Jura, honores, privilegia, auctoritatem sanctæ Romanae Ecclesiæ, Domini nostri Papæ & successorum prædicatorum conservare, defendere, augere, promovere, curabo, &c.* (b).

Commendator. De juramentorum fide non est quod differas, Domine Præposite. Hodie enim fides illa jurejurando alligata promiscue frangitur. Sed tamen necesse est, ut aliquid fixum ratumque statuatur, ad subveniendum deplorando Ecclesiæ Germanicæ statui. Interim meum Archiepiscopum sequor, cum multis Ecclesiasticis ac Parochis, qui ipsi firmiter adhærent.

Doctor. Benè est cum Ecclesiastici, Parochi & ipsomet Archiepiscopus uniformiter cum Papâ sentiunt, ipsumque sequuntur. Tunc certè sunt auscultandi, & hæc est vera genuinæ Doctrinæ praxis ac regula. Si vero ab istâ uniformitate aberrent; nequaquam ipsis est adhærendum. Eheu! Domine Commendator, res est maximi momenti. Cavendum igitur. Nec tu nec ego juvenili aurâ fruimur.

(a) Professio Fidei a Pio IV præscripta.

(b) Juramentum in Consecrat. Episc. Vide *Pontif. Rom.*

comes. Hæc reflexio in me etiam cadit. Tacito passu labitur ætas. Quid juvant apud summum Tribunal aliorum exempla? Certè de nostro erga Pontificem contemptu nos non absolvent?

Commendator. Evidem fateor; hæc omnia sunt majore consideratione digna, quām putaveram. Verū in Conventu Emsiano satis superque his provisum est.

Doctor. Quid ais, Domine Commendator? His provisum esse satis? sed quid ibi absque missione, absque caractere egerunt quatuor Clerici, non aliâ scilicet auctoritate nixi, nisi èa quam Metropolitani quatuor intra suæ cujuslibet Dioecesis fines delegare poterant, super rebus ad Jurisdictionem suam exclusivè pertinentibus.

Lector. Deputati graviter rem omnem discusserunt. Sic enim sunt subsignatae punctuationes illæ. » Infrascripti mature supradicta puncta » perpenderunt, unanimiter sanciverunt, & » plenis delegantium mandatis sibi ultrò ci- » troquè communicatis ea subsignaverunt & » sigillis suis muniverunt. Ad Balneum Em- » sianum 25 Augusti 1786. Valentinus Hei- » mes — Josephus Ludovicus Beck — Geor- » gius Henricus Tautphæus — Joannes Mi- » chaël Boenike. « —

Doctor. » Isti sunt potentes a sœculo viri famosi! «

Referendarius. Nos quidem aulici a risu temperare haud potuimus, cum videre fuit quatuor viros (novimus & quos) in tabernam loci ignobilis, undè ipsa-met Catholica Religio prorsus exulat, una congregatos, & ibidem inter commissationes, pocula, chartas lu-

sorias balnea , balneorumque tripudia & orgia , tergum abluentes , ac simul de rebus summi momenti differentes ; nec non Fidei suae professionem viginti tribus PUNCTUATIONIBUS expressam , graviter quasi ex Cathedrâ redigentes . Ohe , Jocularis Synodus !

Dôctor. Orbis Catholicus miratus est homuncionum illorum petulantem audaciam ; & cordati Germani , quorum cheu ! In dies nimis imminuitur numerus , execrati sunt Decreta venturis temporibus , usque ad sæculi consummationem toti Germaniae probro futura .

Comes. Si saltem , uti inter Principes & Legatos subinde fit hodie , ad aquas spadanas vel ad Aquisgranenses thermas isti quatuor Papæ se contulissent , tunc conventiculum istud , quod latrocinium balnearium quidam non inepte vocitant , pondus aliquod accipere potuissent saltem à loci celebritate .

Commendator. Castigas , ridendo , quatuor viratibus impudentiam , illamque acriter retundis . Ego vero gladio magis quam disputatione fui exercitatus miles . Cæterum res mihi nunc videtur valde seria . Rogo te igitur ut , Domino Präposito comite , me revisas , antequam Franconiam repetatis .

COLLOQUIUM NONUM.

*COMES, REFERENDARIUS, DOCTOR,
PASTOR, LECTOR, SACELLANUS.*

DOCTOR. Juvat hodie majus pensum decurrere, ut intermissam colloquii nostri seriem cum fœnore recuperemus. Habemus scilicet Rdi. Patris Lectoris objectiones resolvendas.

Lector. S. 2. pag. 7. Dicit Hedderichus : Jura ac principia de potestate Episcopali intuitu Pontificis, communi consensu publico Ecclesiæ Germanicæ & Imperii recepta sancte sunt custodienda. Quid ad hoc Domine Præposite?

Doctor. Paucis respondebo cum Podiensi Episcopo contra oppugnatorem actorum Cleri Gallicani, item cum Massiliensi Episcopo de Gallicanæ Ecclesiæ libertatum institutione. Itaque istorum Præfulum verbis insistens dico Hedderichum augere eorum numerum, qui sub prætextu Ecclesiarum suarum libertates & jura vindicandi, in Ecclesiam Romanam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistrum, Hæreticorum more suum odium & rabiem exhalant. Cæterum effrons ille omnia confundit Privilegia, Concordata, Confuetudines. Nos autem cum Canone VI. Concilii Nicæni confidenter & verè dicimus suis Privilegia serventis Ecclesiis. Addimus, & cum omni fiduciâ spondemus Sedem Apostolicam, his privilegiis, licet disciplinæ per-

D 3

fectioni, ut postea probabitur, non satis
faventibus, nunquam esse derogaturam, ni-
fi publicum Ecclesiæ bonum id necessariò
exigat.

Lector. Verum an jura violare Summo Pontifici
licet.

Docttor. Quantum ad jura spectat, aut vidisti,
Reverende Pater, aut saltem in animadver-
sionum Specimine pag. 20. videre potuisti
quàm ad propositum ineptè & contra seip-
sum Hedderichus citet litteras, quas Imperii
Electores tam Ecclesiastici quàm Sæculares
ad Benedictum XII. Anno 1338 scripsierunt.
Ex iis satis liquet, quam frustrâ demonstra-
re conetur, Ecclesiæ suæ Jura & principia
violari a nemine posse.

Lector. Sed nonne Concordata Metropolitanis
maximè favent.

Docttor. Quod ad Concordata attinet, quid tanto
apparatu dixit ille versipellis, quod unico ver-
bo non possit dilui. *Concordata* enim habent
vim pauci: a pauci autem pars una invitâ
alterâ discedere nequit (a). Sunt porro ge-
nuina constitutio *Canonica*, utpote à legitimo
Legislatore Ecclesiastico lata; & si quid
præterea requiris, etiam adscensu Ecclesia-
rum Germanicarum roborata, intuitu quo-
que Imperii nostri, sanctio prædictæ & fon-
damentalis. (b) Quare autem veterator il-
le vult ab ipsis Concordatis resilire? Quare
temerario ausu objicit quod ipsem Eu-

(a) Ant. Schmidt Inst. Jur. Eccl. t. I. p. 22.

(b) Idem ibid. p. 87.

genius IV. antea aperte fassus est his nem-
pè verbis. *Nisi in futuro Concilio (non
tamen in Emsiano Gurgustio) DE CON-
SENSU NATIONIS fuerit ordinatum.*

Comes. O ! nefandum caput ! O scelus ! Audet
ipsamet Sedis Apostolicæ dicta propugnare,
quasi ab istâ eâdem Sede impugnata forent !
Quis ferat hanc hominis impudentiam ?

Dôctor. Quænam autem sunt illa Concordata,
quæ principia ac jura ab Ecclesiâ Germani-
câ & Imperio COMMUNI CONSENSU PU-
BLICO agnita & recepta continent nec non
illa quibus potestatis Episcopalis exercitium
intuitu Pontificis determinatur ? Quænam
sunt inquam illa concordata quibus Ecclesiâ
Germanica & Imperium IN SACRIS regitur,
& quæ violare nefas ? Profectò non sunt
Emhienses PUNCTUATIONES (Ludicra De-
cretorum in vinariâ popinâ a græcantibus
digestorum nuncupatio.) Hæ certè punctua-
tiones Primatui directè adversantes , non
sunt communi Ecclesiâ Germanica , Natio-
nis & Imperii consensu agnitæ & receptæ ,
non habent vim paci , à qua pars una in-
vita altera discedere nequeat ; non transierunt
in jura & leges nationis integræ , quibus
Ecclesia nostra (Germanica) & Imperium in
SACRIS regitur , & quas violare nefas . Nemo
enim nescit istas PUNCTUATIONES (sit
venia fastidioso & putido nomini) fuisse a
quatuor balnearioribus fabricatas , dignissimis
Archipräfulibus subornatis & in errorem in-
ductis , malignè per summam fallaciam ob-
trusas ; dein inconsulto , inscio , ac prorsus
invito , cuius præsertim intererat , Pontifice
evulgas . His non obstantibus hujusmodi

(56)

Concordata, quæ pro libitu & in favorem suum extenuant, ampliant, interpretantur, Christi Vicarium coarctabunt, proterent, conculcabunt? Proh! Deum hominumque fides!

Lector. Sed si Consuetudines vigent, nonne turpem Ecclesiæ Germanicæ servitutem imponebit Summus Pontifex, cum illis obstare attentat?

Doctor. Quantum ad Consuetudines videndum est utrum pravae non sint, utrum jura recepta non evertant, utrum eas tollendo, tranquillitati publicæ nihil sit metuendum? Sed ne a Germaniâ discedamus, consulatur Benedictus XIV. de *Synodo Diaœc. libro XIII. cap. 13.* consulatur Zallwein *T. IV. Principior. Jur. Eccl. p. 440.* consuluntur alii plurimi & patebit quam fuerit perficitæ frontis & imprudens Hedderichus, dum suo se ense jugulavit, auctoritates cirando quæ sibi ipsi adversantur. Profecto, Reverende Pater, non capio, quomodo ejus partes tueri te non pudeat.

Lector. Ut quid me puderet? An quod nititur principiis & juribus Ecclesiæ Germanicæ, & Imperii consensu assertis, esset resecandum? Atqui potestatis Episcopalis à Deo descendenter exercitum, in conventu Emiano explicatum iis principiis & juribus nititur, prout demonstratur ex Canonum Codice auctoritate Caroli Magni recepto.

Doctor. Id dicit Hedderichus scilicet, ut Emiensis latrocinii auctoritatem, & explicata ibidem Episcoporum jura tueatur: verum quare potius Concilii Germanici sub Carolumanno

an. 742 ; celebrati Decreta non profert ? Ibi
 Can. 1. Legitur. *Canonum Decreta & Ec-
 clesiæ jura restarentur, & Religio Christiana
 emendetur* : Cur collectionem Canonum à
 Nicolao Serrario vulgatam omittit (*Rer. Mo-
 gunt. Lib. 3. p. 563*), ibi nihil legisset, quod a
PUNCTUATIONIBUS ridiculis non abhorreat.
 Cur demum in ipsomet codice quem Carolo
 Magno donavit Hadrianus I. Omnia confundit,
 & comparat cum Emsianis articulis ? Cur
 dicit in hoc codice esse fancitum *omnes cau-
 fas in locis ubi orta sunt finiri debere INTER-
 DICTO recursu ad Tribunalia Romana* ? Quo
 ausu id in medium protulit, quandoquidem
 in illomet codice Sardenses Canones ex-
 tent, ubi dicitur ; *nisi causa fuerit IN JU-
 DICIO EPISCOPI ROMANI DETERMI-
 NATA*. Sed ne longior sim, præstat vos ad
 Specimen animadversionum remittere, ubi
 Hedderichus falsarius deprehenditur, sive citet
 Concilii Africani epistolam ad Cœlestinum
 scriptam, sive Hartzheimij Concilia deturpet,
 sive Amortii elementa reticeat, sive Decreta
 ad Himerium a Siricio transmissa infirmet,
 sive, contra id quod in secundâ Hadrianei
 codicis parte discimus, attribuat Emsianis
 Mergis jus scilicet inauditum dispensandi in-
 dependenter a Summo Pontifice, immo quidem
 illo reluctante & refragante ; sive illos ab
 onere sedem Apostolicam consulendi prorsus
 liberet, sive tandem inficietur in ipsis Synodis
 generalibus (Balneariis latrociniis haud dubiè
 exceptis) Canones nihil quidquam habere
 auctoritatis, nisi quod Apostolicæ Sedis firmet
 auctoritas. Viden', Reverende Pater, tuum
 Hedderichum omni prorsus præsidio spolia-
 tum. Nec me jubeas ulterius prosequi. Quæ-

cumque enim profert, nituntur dolis, mendacii, principiis falsis, textibus aut factis depravatis, ne exceptâ quidem famosâ illa Bullâ, quæ justa diplomaticas leges examinata, plane corruit, uti ad evidentiam demonstratum est.

Comes. Profectò, cogitatione consequi nequeo quâ fronte adulterator ille Serenissimi Archiepiscopi fiduciâ tam turpiter sit abusus.

Lector. Habent scholastici ut bellatores sua strata-gemata.

Referendarius. Nil quoque pudoris habes, Reverende Pater, qui hominis procacitatem excuses? Itane Regio Principi illuditur? Sed ad alia divertamus. Scire velim, quid de jure dispensandi sentias?

Lector. Meâ quidem sententiâ, quandoquidem Episcopi Apostolis successerint, Apostolorum iuribus potiuntur, eandemque exercent potestatem; ergo reservationes a Summo Pontifice factæ sunt totidem Episcopatûs violationes.

Doctor. Pace tuâ dixerim, Pater Lector, 1^o. Hæc propositio est schismatica, eo quod Episcopis attribuat jus indistinctè regendi, ut faciebant Apostoli, omnes mundi Ecclesiæ. 2^o. Est temeraria, eo quod Ecclesiæ disciplinam a tot sæculis observatam sacrilegè condemnet, 3^o. Est Concilio Tridentino directè opposita, fess. 14. cap. 7. de Pœnit.

Lector. Saltem Metropolitanî habent jus dispensationes concedendi, ut probat Jung in Dissertatione cui Titulus, *Facta dispensationum Episcopaliūm historica.*

Doctor. An id probet mendaciorum congerie? Crede mihi, adeò nihil probat, ut omnia adulteret. Primò enim quibusnam persuadebit

(59)

Episcopos, Apostolorum esse in Apostolatu successores, illosque in omnia Apostolorum jura, plenamque potestatem transiisse? Tam insanis prætensionibus, uti jamjam dixi, aperte contradicit Sacro-Sancta Tridentina Synodus, his verbis: *Meritò Pontifices Maximi, pro summa potestate sibi in Ecclesiā universā traditā, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare.* Sess. 14. c. 7. de Poenit.

Lector. Id locum habet dumtaxat pro casuum reservatione, non autem pro dispensationibus, quæ in Germaniâ vi Concordatorum & jurium, sicut & in Galliâ vi libertatum, ad singulos Episcopos pertinent.

Doctor. Non ita sentit Marca, dum ostendit:
» Romanum Pontificem supremam in rebus Ecclesiasticis auctoritatem exercuisse per Gallias, judiciis ad relationes & appellations redditis, ab eo tempore quo fides Christiana in Galliis floruit, ad hanc usque ætatem ». *Concord. Prol. p. 61 & 71.*
» Item Papam absolvere posse, & validè ac licite dispensare a Canonibus Conciliorum Generalium etiam sine causa, dummodo haec dispensatio non tendat ad laicis Ecclesiæ statum ». Ibidem addit, » Ecclesiæ Gallicanæ libertates a solle Canonum antiquorum praxi non penitus derre, & demonstrat, necessitate cogente, Pontifices variis temporibus & pro publico Ecclesiæ bono, ad novas leges condendas esse progressos ».

Sacellanus. Non possum conciliare innumeratas illas Theses, quibus continuò ad primævam Ecclesiæ Disciplinam appellatur, cum iis quæ



(60)

nuper legebam apud Erasmus. » Cum Ec-
» clesia , ait ille , quemadmodum res cæteræ
» mortalium omnes , habeant rudimenta ,
» progressum & summam nunc subito , il-
» lam ad primordia revocare , nihilo est
» absurdius , quam virum adultum ad cunas
» & infantiam velle retrahere..... Quid
» multis? si Paulus hodie viveret non im-
» probaret , opinor , præsentem Ecclesiæ sta-
» tum (a) «. Sed Paulo sunt perspicaciores
nostrí quatuor *Punctuatores* , cum bene loti ,
bene paſli , bene poti ſuos famoſos articulos
eructant.

Doctor. Aureum Morini verbum liceat addere.
» Insolentissima igitur infania eſt , non
» modò disputare contra id quod videmus
» universam Ecclesiā credere , sed etiam
» contra id quod videmus eam facere. Fides
» enim Ecclesiæ non modò regula eſt fidei
» noſtræ , ſed etiam actiones ipſius actione-
» num noſtrarum , conſuetudo ipſius con-
» ſuetudinis , quam obſervare debemus (b).

Lector. Cuperem ſaltem ut assignaretur mihi plau-
ſibilis ratio quare Epifcopi diſpenſare non
valeant aequa ac Papa aut Concilium?

Doctor. Nihil eò facilius. Dicam nempè cum Gar-
cia. Part. 2 , c. 5 , №. 351. » Quòd Epif-
copus non poſſit diſpenſare in lege Papæ
» vel Concilii , hoc prouenit ex naturâ rei ,
» quia Epifcopus eſt inferior , & inferior
» non haſet potestatem in ſuperiore , nec
» in ejus legem «.

(a) Erasmi Epift. ſcrip. 1529. Non Nov. Edit. Colon
1541.

(b) Morin. Præf. comm. Hist. de Administ. ſacram.

Lector. Quasi Concilium non sit supra Pontificem , & Episcopi non constituant Concilium ?

Doctor. Sit Concilium supra Pontificem ; Episcopi constituant Concilium , nec ne , quid ad rem ? semper stat quod Pontifex Maximus Primatum habeat. Respondebo igitur cum Grotio » sine tali Primitu exiri e controver- » sis non poterat : sicut hodie apud Pro- » testantes , nulla est ratio , quâ ortarum inter » ipsos controversiarum reperiatur finis. Et » hic Primatus post Apostolos mansit in Sede » Romanâ : quod manifestum facit historia » etiam in ipso Blondelli libro (a). « Ita Acatholici. Id sibi applicant schismatici Em- sienses , cum Professoribus Moguntinis , Tre- virenibus , Bonnensibus , Salisburgensi- bus , &c.

Comes. Profectò res egregias vidēremus , si Em- sianorum , & istorum Professorum sistema vigēret.

Doctor. Vidēremus , & jam quidem non sine dolore vidēmus omnia sus deque eversa. His autem malis nullum subsidium reperire est , nisi in Primitu Petri. » Quot dissidia sanata » sint auctoritate Romanae Sedis ; quoties op- » pressa innocentia ibi præsidium repererit , » non alium testem , quam eundem Blon- » dellum volo (b) ».

Lector. Saltem nihil opponi potest ad ea que dicit Jung cum cæteris de Placito politico nempè

(a) Grotius. Rivet. Apolog. discuss. tom. 4, pag. 693,
Edit. 1679.

(b) Idem pro pace Eccles. pag. 659, tom. 2.

placitum illud in Ecclesiâ semper fuisse agnatum.

Doctor. An Nero , an Domitianus , aut Diocletianus Evangeliorum volumen suo placito Cæsareo munierunt ? Legatur Epistola quam Trevirensis Archiepiscopus , priusquam ejus Religioni sycophante illi imponerent , Imperatori Josepho II , scripta 14. Junii 1781 . O ! si sic semper sensisset , aut potius si Optimum Principem impostores non captassent , non rexissent & versassent ; quantum ipsi accessisset decus , & quanto melior foret nunc Trevirensis Ecclesiæ ac ipsiusmet Religionis concultatæ facies !

Comes. Legi & perlegi illam , de quâ loqueris , epistolam , nec satis capio quomodo Serenissimus Archiepiscopus tam subito a principiis pristinis desciverit.

Doctor. Ed sanè adduci non potuit nisi per insidiosas aulicorum & Novatorum assentationes . Eheu ! quis hæc videns non formidet tremenda Dei Judicia !

Lector. Numquid non debuit novam illam agendi rationem inire adversus Pontificem , qui sibi arrogare non dubitavit jus exclusivè dispensandi in gradibus prohibitis . Id enim jure ordinario & ex veteri disciplinâ ad Episcopos pertinet .

Comes. Mihi herclè stomachum moves cum tam temere loqueris . Reverentiùs saltē te habeto erga Christi Vicarium .

Doctor. Nihil sibi Summus Pontifex arrogat , dum suum sibi jus afferit . Audi , Reverende Pater , ipsum Cabassutum , quem vos sæpius in vestram partem artificiose detorquétis ; di-

(63)

cit enim, Episcopos h̄ac in materiā dispensare non posse, sine intolerabili Conciliorum Romanorumque Pontificum despectu. Not. Eccl. Sæcul. 16.

Lector. In hoc errat Cabassutius.

Doct̄or. Nil facilius dictu. Ego vero validioribus argumentis te errare probabo : sic enim habet Concilium Tolosanum an. 1590. „ Quos cog-
„ nationis gradus impedit, nisi viſā priu-
„ Summi Pontificis dispensatione, in matri-
„ monii coniunctionem Parochi non reci-
„ piant “. Consule Palavicinum Hist. Conc.
Trid. Lib. 23. c. 9. n. 17. Recurre ad
Epistolam quam ipſemet Trevirenſis scri-
bebat Regio Fratri ſuo Bruxellas. Anno,
1782. Mihi perſuadere nullo modo potui, in-
quit, Episcopos originariè potestate habuiffe
dispensationes concedendi, quarum ab octo-
decim retro ſaculis ne vel unum datur exem-
plum.... Nequaquam igitur Summus Pontifex
Episcopos dispensandi potestate spoliavit nec
ſe eādem spoliaverunt Episcopi, cum illā
numquam ſint potiti. Idque non a quādam
humanā reservatione proſlit, ſed a lege na-
turali, quā leges superioris, inferiorum po-
tentia eximit. Perpende quā idem Serenif-
fimus ad Cardinalem Mechlinensem misit
7^a. Maii 1782. Quantum ad Dispensatio-
nes, quā a nobis relaxari deſiderantur &
quas nequidem in urgenti neceſſitate Episcopi
poſſunt concedere, poſto etiam quod recursus
ad Summum Pontificem imposſibilis foret, mihi
videntur maximam juribus Sediſ Apostolica
injuriam irrogatur. Attende insuper, quā
decidit Congregatio interpretum Concilii Tri-
dentini, ſuper Sess. 24. Cap. 5. „ Episco-

" pus auctoritate ordinariâ non habet fa-
 " cultatem in gradibus affinitatis seu con-
 " sanguinitatis a jure prohibitis contrahen-
 " tes matrimonia dispensandi ". Addit Ga-
 gliardi. " Disputatum est a Patribus Triden-
 " tinis , utrum salubrius foret Episcopis quam
 " Papæ facultatem dispensandi reservare ,
 " Pontifex Pius IV , præ cæteris annuebat
 " ut consanguinitas in quarto gradu , quia
 " frequentior , a Pontificis reservationibus
 " eximeretur , eam arbitrio Episcoporum
 " dimittens. At Synodo magis placuit sen-
 " tentia Marci Antonii Bobbæ , Augustani
 " Episcopi & Sabaudiae Ducis Legati , qui
 " censuit Episcopalem dispensandi faculta-
 " tem in eo sanguinis gradu , fore quânto
 " maximè adverſam communī objectō vo-
 " toquè Patrum indulgendi rarò dispensa-
 " tiones ; propterea quod multò plures &
 " crebriores ab Episcopis procul dubio da-
 " tum iri animadverteret , quam ab uno
 " quantumlibet largissimo Pontifice ". *Inst.*
Jur. Can. l. 2, tit. 11.

Lector. Aliter in Emsiano Conventu statutum est.

Comes. Inficeta ac insipida ratio ! Conventus
quatuor Clericorum , in Balneo tripudan-
tium , prævalebit Ecclesie Generali præ-
fertim in re tanti momenti !

Dooctr. Quanta sit res illa , Illustrissime Comes ,
intellige ex Epistolâ quam ad Archiepisco-
pum Colonensem 20 Januarii 1787 scrip-
tit Summus Pontifex . " Cum de maximi
" momenti re , de validitate scilicet Sacra-
" menti ageretur , in quo illicitum est quid-
" quam incerti adhibere , medio certo pro-
" termisso quod adhiberi potest , num dis-
" simulare

" simulare potuimus quin eos omnes quos
 " oportet, instructos monitosquè reddere-
 " mus de præscriptis per nos facultatum
 " dispensandi limitibus? Quos ultrà si dis-
 " pensatio fieret, suffragatura esset nemini,
 " nequè validum futurum matrimonium,
 " nequè legitima soboles ex illo oritura "(a).
 Insuper quo Jure tres Electores Ecclesiastici
 hanc sibi potestatem arrogant postquam ip-
 simet, Prædecessorum more, facultatum quin-
 quennialium prorogationem in alios quinque
 annos supplices petiverunt; nempè Mogun-
 tinus **II** Julii, 1782. Trevirensis 7 Aprilis,
 1783. Coloniensis 27 Maii, 1784.

Lector. Jus suum ignorabant, nunc autem post-
liminio in illud seiplos redintegrant, post-
quam legerunt aureum Antonii Pererii opus
de potestate Episcoporum.

Doctor. Papæ! aureum opus fruncupas, quod ius-
tis censuris fuit confixum. Attamen ille Ora-
torii Presbyter, merito condemnatus, hanc
dispensandi facultatem Episcopis non attri-
buit, nisi cum recusus ad Romanum Pon-
tificem est impossibilis, sicut tunc reddide-
rat impossibilem vis Pombalii Marchionis
tyrannica & schismatica.

(a) V, ad eadem: N°. 1°. Idem dicebat Cabassutius Theor.
& Iuris Can., prax. ib. 3. c. 27. Sane istæ ab Episcopis con-
cessæ dispensationes pro contrahendis conjugiis, aut
nullitatem aut incertitudinem causant sacramenti. At
vero in re Sacramentariâ unanimis docent theologi,
non esse licitum quidquam incerti adhibere, certo
medio prætermiso, quod adhiberi possit. Atquè ita,
licentia ita vel nefariam inducit Sacramenti nullita-
tem, aut ad sumnum, tutoe simul & probabile
opinione rejectâ, minus probabilem nec turam, in
tanti momenti Sacramento, consecetur opinione.

Comes. Me Hercule, quæ subita metamorphosis !
Antea Metropolitani egebant quinquernali
facultate, sua scilicet jura ignorantes. Nunc
melius edocti & Primatum adepti vires suas
exerunt; Perieræ systema transcendunt: ita
Conventiculum Emilianum, quādam ma-
gicā arte, illos mox in totidem Pontifices
maximos transformavit.

Doct̄or. O ! magiam verè deplorandam !

Lecl̄or. Ut quid, tandem hæc exclamatio ?

Doct̄or. Quia certum videtur hujusmodi Matr-
monia esse nulla & irrita; liberos inde
nascituros esse illegitimos, indeque inter fa-
mlias & cum finitimiis lites interminabiles
orituras, nec non turbamenta continua.

Sacellanus. Hoc certo certius eveniet. Novi enim
virum Patriæ Leodiensis, qui, ut defunctæ
uxoris suæ fororem duceret, recepit se ad
tempus in Diœcesim Trevirensim, & ibidem
vi dispensationis ab Archiepiscopo, vel po-
tius inscio illo, à Vicario Generali concessæ,
matrimonium cum illâ contraxit. Nunc con-
sanguinei innuptas esse nuptias contendere-
runt, jus successionis disputantes, & liberos
incestuosos sustinentes. Officialis Leodiens-
is, nullâ dispensationis Trevirensis habita-
ratione, matrimonium nullum certissime
prononciatur erat, & successionem
propinquis adjudicaturus, cum opportunè à
summo Pontifice, illi incestuosi sui delicti
absolutionem, & dispensationem obtinue-
runt, quâ matrimonium legitimè contra-
herent: undè omnis controversia dirempta
fuit.

Referendarius. Heu ! Heu ! quām immensa rixarum seges ! quām inextricabilis litium labyrinthus ! & undē emeras ?

Doctor. Expectadum : alia videbis an stupenda magis , an horrenda ? Ajunt enim sacerdotem quemdam nomine Fischer à Moguntino jam petuisse facultatem convolandi ad nuptias , nescio an Lutheri exemplo cum moniali , an cum divortio separata aut liberā ? Quidquid sit , ferunt Vicariatum Moguntinum Colonienſi hæc scripsisse . „ In „ Emſiano conuentu ſanctum fuit , Archiepiscopos & Epilcopos jus habere in voto „ caſtitatis diſpensandi , ſaltem quoad subdiaconos & Diaconos , nunc autem re „ maturius perpenſa , quid obſtat quin eodem „ jure potiantur quantum ad ſacerdotes ? Ita- „ quē ſperat Moguntinus Vicariatus fore , „ ut Colonienſis item Vicariatus huicce re- „ ſolutioni ſe ad amuſſim conformet “ (2).

Comes. Tam nefanda ſtomachum mihi & indignationem movent. Ohe ? Parce pluribus.

Doctor. Pauca adhuc citabo ut magis pateat Doc- torum iſtorum audacia. Dicit Braun Mogo- nus , *Difſert. de Matri. anno 1787 , p. 78 , XIII.* „ Certum eſt ex definitione Triden- „ tini matrimonium in caſu adulterii jure „ divino ſolvi neceſſariò haud debere —

(2) Dispensationem cum Cafimiro Cluniacensi Religioso & Diacono , ut Poloriæ ſolium occuparet , vocat Thomassinus . „ Dispensationem novam proſuſ & priori ſetate inauditam , cuius adeo autores ſe non facili Epilcopi profelli eſſent “ . Part. 2. l. 3. c. 27. Nunc autem commode & quaſi nugando Vicarii Archiepifcoporum profitebuntur ſe harumque diſpensationum eſſe autores I. intoleranda ſauē arrogantia ! Vide ad calcem N° 9. Quæſt. 4.

„ Sed illud , in Ecclesiâ Latinâ , & in prædicto casu solvi non posse , ad disciplinam pertinet « (a) . Addit Froitzhem , p. 67. „ Episcopi soli , cum sint veri ac propria jure Legislatores , in quibuscumque legibus disciplinaribusque seu Papalibus , sive Conciliorum Generalium , jus habent dispensandi , & quidem in legibus abstinentiae , dirimentibus matrimonium , cælibatus , sive ordinibus sacris , sive profissioni Religiosorum annexi « (b) .

Comes. Disrumpor , cum talia audio. Hæc enim hæresim & schisma sapiunt ; nec rationibus sed verberibus novatores isti confutandi sunt. De his igitur satis.

(a) Ille idem perfictæ frontis novator inter plurimas censuræ dignas hanc propositionem profert. *Privatus invasorem bonorum suorum , se ea aliter servare nequit , occidere potest.* Ibid. p. 6. §. IX.

(b) Jung p. 85 laudat hanc in rem memorabile documentum Confluentie per trium viros *Delium , Hontheimium , Hillesheimium* Litteris ut ferunt consignatum anno 1769 , quod verisimiliter ab Architecto Bullio Pauli novissime fabricatum fuit & nunc in *Lebret Magazin* primum in lucem prodit , ibidem *ARCHIMYSTARUM* nomine sic concludunt. „ Non ergo imposturum feretur neque subditis expediet , ut pro casibus & dispensationibus , sive matrimonialibus sive aliis ad sedem Rœmanam admittantur (forte amandentur .) “

COLLOQUIUM DECIMUM.

DOCTOR, SACELLANUS.

SACELLANUS. Te convenio, Domine Præposite, totum me tibi aperturus, meāmque gratitudinem significaturus.

Doctor. Quid facere potui, Domine, ut de te tam benē mereret?

Sacellanus. Plurima quidem & maxima. Nam erroris tenebras dispulisti, & veri semitam demonstrasti mihi. Nunc culpam meam agnoso. Peccavi illas opiniones amplectendo, quæ Ecclesiam, visibile ipsius caput, ipsam denique Catholicam fidem convellunt, qua-
tiunt & evertunt. Hæc sanè haud fueram edoctus à piis Academæ Colonensis Magistris: verum pruritus nova dicendi & dis-
seminandi me in illam principiorum erro-
neorum voraginem egit præcipitem; nunc tandem, quæ est Dei Providentia & be-
nignitas, te opitulante, emergo.

Doctor. Sed amabo te, dic sodes, quomodo adeò cæcutire potuisti? Quomodo in quod rueres barathrum, non prævidisti?

Sacellanus. Non satis scio quid respondeam. In-
cantabant me novatorum sophismata; mira-
bar eorum cavillationes & subtile captiun-
culas; paulatim veritatem repellebam à me,
& caligine involvebar; omnia confunde-
bantur in intellectu, donec tandem in ta-
lem animi torporem & stuporem lapsus sum,
ut nihil me tangeret amplius. Nunc vero

E 3

totus commoveor ; tenebræ diffugunt ; vi-
deo demùm & planè resipisco.

Doctor. Quid jam sentit Pastor ? An tui consilii
est particeps ?

Sacellanus. Nihil dum ipsi credidi. Sed ex sermo-
nibus quos cum ipso miscui , satis conjicit
me à novatoribus omnino desciscere. Per-
piccio illum valde anxiū esse & perplexum ;
sed sic à naturā sumus comparati ut aegrè
admodum errasse nos confiteamur. Ille præ-
fertim , utpote Emsianarum partium ante-
signanus & propugnator acerrimus , majores
debebit adhibere conatus , & vim sibi maxi-
mam inferre , ut se ipsum devincat.

Doctor. Sed quò plus victoria illa amori proprio
adversabitur , eò glorioſior erit triumphus.

Sacellanus. Quidquid fit. Sedet animo ratum &
fixum , ut Ecclesiæ obediam & obsequar ve-
ritati. Hac in re , si placet , tuis me consi-
liis adjuva.

Doctor. Duo hic occurunt facienda. Alterum
mox suscipiendum , alterum tempore & loco
opportuno perficiendum. Primum enim oportet
per paenitentiam ad Deum reverti ; ne-
què id potest satis festinè fieri. Deinde re-
parandum est scandalum , sed cum eā , quā
par est discretione & mensurā ; hoc autem
ut exequaris , potest esse dilationi locus.

Sacellanus. A Deo veniam enixè rogavi propter
hanc meam in novitatibus disseminandis
pruriginem.

Doctor. Optimè factum ! Nec tamen id satis.
Confiteri enim teneris , quām contemptibili-
ter & injuriösè de Christi Vicario fueris

oblocutus; quām insolenter ipsius Decreta, præsertim Bullam *Unigenitus* despexeris, & exploseris, imò ab illā ad futurum concilium appellaveris; quām mordicus errorem propugnaveris, ac deplorandum, quod ferpit, Ichisma, soveris, Præterea absolvendus eris ab hæresi & excommunicatione, quam in refractarios & hæreticos latam merito incurristi.

Sacellanus. Locus, tempus, feriæ tanto operi obstant maximè. Quomodo hinc possem me extricare?

Doct̄or. Consilium celere tibi reperio, illudque protinus exequendum. Dices ob rem urgentem eundum tibi esse Coloniam, nec, hoc dicendo, mentieris. Proficiscaris cras summo manè, & illuc circa meridiem adveneris. Biduum in secessu impendes confessioni generali præparandæ. Quarto die manè confessionem institues & vesperi hūc aderis. Sat novi: quam tibi rem propono, ea est admodum ardua ac intricata; verū, quoniam est omnimò necessaria, nihil est cunctandum.

Sacellanus. Quid non fabulabuntur de hoc tam subito itinere?

Doct̄or. Dices, inquam, negotium ingruisse non remittendum, teque intra quatriduum hūc remeaturum.

Sacellanus. Et castinum Colloquium?

Doct̄or. Quiesce, in hebdomadam proximam disferetur. Hoc utar intervallo, ut quasdam visitationes cum Domino Comite persolvam. Tu quod instat, agas.

Sacellanus. Mali & scandali reparationem exiget
Confessarius. Quomodo me expediam?

Doctor. Ad hoc assumenda erunt media opportuna. Asseres te ad quocumque esse paratum, & hanc super re cujusdam viri prudentis & docti consilia secuturum, prout jus & ratio ferent, perpensis attentè singulis rerum circumstantiis.

Sacellanus. Eheu! tot sermones injuriosos miscui! Tot dissertationes, theses, propositiones schismaticas, novas, temerarias propugnavi & sparsi! Tot facta, historias, textus, autoritates malitiosè detorsi, depravavi, fabricavi! Tot clericos in proterviam & inobedientiam erga Sedem Apostolicam pertraxi! Tot rudibus fui scandalo. Toties quidquid in buccam veniebat, adversus Christi Vicarium, effutivi, cachinnatus sum, deblateravi! Deus bone! Qui tot & tanta possum reparare?

Doctor. Deus impossibilia non jubet. Facies præ virili quod in te erit. Sermones orthodoxos heterodoxis oppones. Libros pravos retrahes, illisque probatos substitues. Clericis obedientiam, rudibus genuinam fidem instillabis. Precibus ac operibus bonis Deum placabis. Reliqua misericordiae divinæ committes. Sed de his postea, Nunc, autem, crede mihi, proficisci.

Sacellanus. Persuades mihi, Cras abeo summo manè,

COLLOQUIUM UNDECIMUM,

C O M E S , D O C T O R .

Comes. En tibi epistolium, quod à Domino commendatore jamjam mihi transmissum est. Illud quidem leges perlibenter.

D o c t o r . » Gratissima mihi accedit, charissime Comes, tua brevior visitatio. Virum mihi adduxisti, qui in maximam anxietatem me conjectit, Sacellanus, quem exinde vidi, aliter omnino sentit ac olim. Itaque meas curas adeò non levavit ut potius auxerit. Expectando, quām cūtissimè poterit fieri, vestram peroptatam præsentiam, mihi mittas velim quosdam libros, qui absque magnâ mentis contentione, has controversias tantisper resolvant. Vale, «

C o m e s . Non putabam eum tam citò allectumiri. Cupit instrui. Quamobrem brevi, ut spero, præconcepsos errores abjurabit. Quod ad libros attinet; primò mittere juvat Gallicos illos, quibus titulus est, véritable Etat, &c. Supplément au véritable Etat. Mandement ou Lettre pastorale de S. A. R. l'Archevêque de Cologne, Coup-d'œil sur le Congrès d'Ems. Réflexions sur les 73 Articles, &c. Postea succedent, Observationes pacifica, &c. Opus Italicum gallicè translatum: Animadversionum specimen. Disceptatio forensis de illuminatio criminis, &c. Supplémentum ad disceptationem, Sex assertiones de Jejuniis, Confessio publica Philippi Hedderich, Défense des Réflexions &c.

Comes. Illos igitur prius mittam. Sed quid de Sacellano arbitraris, qui Commendatoris anxietates cumulavit?

Doctor. Haud dubiè e nostris colloquiis non spernendos percepit fructus.

Comes. Nempe nunc Coloniam abiit, ob quædam, ut mihi dixit, negotia urgentia. Cæterum intra quatriduum aderit. Nos interea temporis quosdam amicos invisemus in viciniâ, & subindè, dum domi libros pervolabim, ego & Dominus Referendarius vendendo animum relaxabimus.

COLLOQUIUM DUODECIMUM.

COMES, DOCTOR, SACELLANUS.

Comes. Tandem nobis ades, quarto, prout dixeras, post discessum die.

Sacellanus. Rem illam unicam expedivi, quæ me Coloniam ire coegerit. Præter confessarium, vidi neminem.

Comes. Quid hic narras de confessario?

Sacellanus. Num itineris mei causam Dominus Præpositus non aperuit tibi, Domine Comes?

Doctor. Haud putavi absque permisso tuo licetum esse hujusmodi arcanum revelare.

Sacellanus. Sanè laudandus es. Attamen si Dominum Comitem fecisses consilii mei participem, præter mentem meam nequaquam egisses. Quidquid sit, ad saniora conversus, volui ab excommunicatione, quâ innodatus eram,

quamprimum me expedire; ideoque Coloniā festinatō me contuli.

comes. Nunc igitur genuinus es Romanæ Ecclesiæ filius.

Sacellanus. Sum utique, quæ Dei beneficentia est. Innumerā certè & debo & ago tibi grates, Illusterrime Comes, & item tibi, Domine Praeposite. Vestrâ enim operâ, ex errorum cœno, in quo etiamnum profundè hærerem, tandem emerſi.

Doctor. In Dominum Comitem aequus es, ut decet. Cum enim me sibi itineris socium adhibuit, nihil aliud intendebat quam vestram omnium resipiscientiam.

Sacellanus. Satis sentio quid utrique debeam. Heu! quantum discrimen inter erroris callem, quem terebam malesanus, & veritatis semitam quam duetu vestro inii! inexpertus nescit quod dico.

Doctor. Errorem sectando, te veritatem propugnare credebas?

Sacellanus. Credebam; ast, eheu? quâ fide? Nempe falsâ & fictâ, illiusque tranquillitatis experte, quam veritas parit affatim. Quid multa? Inquietus & anxius eram continuo; nunc autem verâ, purâ, imperturbatâ pace fruor. Vix à mea erga Ecclesiam inobedientiam fui absolutus, ut pondere immenso levatum me sensi.

comes. Beasti me, carissime, cum tuâ peroptata conversione: illane jam innotuit Pastori?

Sacellanus. Necdum eum vidi, quia huc primum diverti. Poterat certè ante meum discessum satis conjicere me Emilianas opiniones procul

abjecisse. Sed itineris mei causam ei non
aperueram.

Doctor. Nunc, itaque quandoquidem res peracta
est, optimè feceris, si ei omnia ex ordine
enarres.

Sacellanus. Nihil eum prorsus celare velim; nec
ambigo quin respiccat. Verum probè novi
hominem. Est indole reconditiore, & pro-
positi tenax. Subtūplicula videbitur ipsi pa-
linodia, præsertim postquam se Novatorem
palam est professus; ideoque majori nisu illi
opus erit, ut errorem abneget.

Doctor. Nempe inter collegas quâdam pollet au-
toritate.

Sacellanus. Imò quidem maximâ, quippè qui denis
ut minùs Pastoribus circumviciniis & prora
est & puppis; eorum animum, ut vult &
quo liber, flectit: singula ejus verba exci-
piunt, tamquam totidem oracula; nimirum
quia suspicitur inter illos doctior, insu-
per quia illis prælucet pietate, moribus,
exemplo denique. Hinc tam devotè ab ejus
nutu pendent.

Comes. Id tibi prædixeram scilicet, Domine Præ-
posite; vides jam D. Sacellatum esse unum
è nostris. Si, ut spes affulget, ad se rever-
tatur Pastor, brevi universa hæc regio, quanta
est, prorsus deseret partes istorum adulteratorum,
qui suis falsis principiis miserè inficiunt
scholam Moguntinam, Trevirensim,
Bonnensem, & indè sensim nostram Ger-
maniam superiorem & inferiorem; nequic-
quam reluctante parvâ Doctorum manu.

Doctor. Si, quod Deus avertat, in Ratisbonensibus
Comitiis prævaleant, actum est de nostrâ

sanctâ Religione per totum imperium. Una nostra spes posita est in piissimo Principe Palatino, qui cum quibusdam Episcopis, & ipsomet, quod æterno Catholicorum probro vertitur, Borussorum Rege Westphalicæ pacis assertore religiosissimo avitam fidem totis viribus tueri nititur (a).

Comes. Triste lupus slabulis ! Tu verò D. Saccellane procul dubio defatigatus es ab itinere; itaque, velim te recipias domum, ut cras Colloquia resumamus. Vale igitur in crastinam diem...

Nunc cum abiit, dic mihi confidenter, Domine Doctor? Quænam tua de hisce colloquii opinio?

Doctor. Sentio Deum uberem nostris conatibus benedictionem impertire. Nec enim dubitem quin D. Pastor ad nostra castra sit transitus. Tu autem, Domine Comes, quid de Referendario opinaris?

Comes. Stupet in Novatorum incredibilem audaciam. Frequens est illi sermo cum Pastore; crebræ cum lectore altercationes; torvus in illum aspectus.

Doctor. Hæc universa fausti sunt ominis.

Comes. Fassus mihi est se satis perspicere Patrem Lectorem merum esse argutatorem, qui continuò vagatur & à proposito ad alia

(a) Fredericus Magnus regnantis patruus, Pastoribus Silesis sub gravissimis paenit, minibuet, ne quis apud Silesiae Austriae Parochos diversetur aut pernoctaret; rationemque hanc addebat quod isti Austriae Junianæ labo infecti, suos subditos eadem inficere possent.

repentē divertit. Ingemisit quōd pii Principes ab his subdolis circumveniantur.

Doctor. Profectō, non exiguum lucrum emerget ex Referendarii assensu! Poterit enim Principem suum, & deinde per Principem delusos ARCHYMISTAS (a) ab errore retrahere. Quod ad nos attinet, Deum enixē precemur ut & corda emolliat, & mentes illustret.

COLLOQUIUM DECIMUM TERTIUM.

COMES, **R**EFERENDARIUS, **D**OCTOR, **P**AATOR,
LECTOR, **S**ACELLANUS.

DOCTOR. Agebamus, nī fallor, in ultimo nostro Colloquio, de Matrimonii dispensationibus; & abundē probatum esse reor illas in certis gradibus ad summum Pontificem pertinēre, irritaque prorsus Matrimonia vi Archiepiscopalium dispensationum contracta. Non suspicor, Reverende Pater Lector, mentem tibi esse ulteriū progredi. Nec haud dubiē assentiris temerariæ propositioni, supra citatæ, pag. 67, quam ausus est allegare Mogonus ille Braun in suā de Matrimonio dissertatione. Nam, proh, Deus! Quot indē orirentur divortia & familiatum disturbance, immō Reipublicæ everſiones & ruinæ!

(a) Sic Neoterici Doctores grēcantur lingua, per grēcantur æsophago. Noster jung, per vocem Archymyfas, Hedderichus per vocem Mono-Episcopu. Grēcos se venditant, & Thaddacus à S. Adamo hebrāizando, Patres Latinos & Grēcos nimium quantum superat!

(79)

Referendarius. Certus sum, Domine Praeposite;
R. Patrem Lectorem tam nefanda principia
juri divino adversantia nunquam admissum.

Lector. Quidquid sit, hæc nuperim discussa
sunt. Nunc de Decretalibus, sive de Ca-
nonibus Isidori Mercatoris aut peccatoris
agendum. Quid autem dices, Domine Prae-
posite, de istis Canonibus adeò repudiatis?

Doctor. Respondebo cum Schmidt in suâ Ger-
manorum Historiâ ab ipsis Novatoribus di-
laudata, nempe Isidotum in Decretalium
collectione intendisse nihil aliud quam Epis-
coporum Judices, id est Metropolitas atte-
nuare, eorumque potestatem coarctare &
infirmare, ut deinceps Episcopi grave Ar-
chiepiscorum jugum excutientes, tandem
liberi & inviolabiles forent, nec amplius,
ut ante, vexarentur. Quapropter errant maxi-
mè, qui temerè sustinent Isidorum voluisse
auctoritatem summi Pontificis elevare; nam
per istas Decretales præcise intendebat, ut
dixi, Archiepiscopos nimis sibi autoritatis
arrogantes intra justos limites coercere.

Lector. Ex istâ Decretalium fabricatione seque-
retur Ecclesiæ regimen esse verè Monar-
chicum, consequenter Pontificem sibi legiti-
time assumpisse potestatem verè Monarchi-
cam, licet certè potestas illa nullo modo
competat Pontifici Romano.

Doctor. Respondeo primò, lepidum profectò te
esse, Pater Lector, qui de famosa illâ fa-
blicatione audeas mifitare! innuis enim
Decretales ab Italîs fuisse fabricatas. Ignoras
igitur hanc Isidori collectionem nequidem
in Italia fuisse redactam, sed in ipsam Get-

maniā (a), quæ hodie dū tot impos-
toribus scatet, tot spuriarum mercium mer-
catoribus, qui Bullas fabricant, monumentis
fictis existentiam tribuunt, falsa pro veris
vendant, ut Metropolitas extollant, & Epis-
copos, inō ipsummet Pontificem Romanum
deprimere valeant. Videas illos continuo
in Gregorium VII. insolenter insurgere,
quasi Episcoporum potestatem in Germania
lafefactasset, dum illam à Principum op-
pressione liberavit. Testem appello Cano-
nistam illum qui sic profatur. » Certe ille
» Gregorius VII & ejus successores, qui jura
» Episcoporum circumcidisse accusantur,
» parūmne contulere ad splendorem illum,
» quo nunc præfules Germaniae refligunt « (b)
Respondeo 2^{do}. istas positiones fuisse à Docto-
ribus vestris excerptas ex ipso Febronio : scili-
cet hæc ejus verba legerunt. » Non hæreamus
» in quæstione ac controversiâ de nomine.
» Eamus ad rem ipsam, & videamus quid
» sit regimen *verè Monarchicum*, quod Je-
» suita (Bellarminus) noster vellet adscri-
» bere. E regime *absolute Monarchico*
» hæc sequerentur, &c «. Addit Febro-
nius Gallicanam Ecclesiam ita sentire ; sed
perperām ; Gallia enim, juxta Gersonem,
Bossuetum & alios agnoscit in Eccle-
sia regimen Monarchicum. Jam autem di-
cendo regimen *illud esse Monarchicum*,
an voluit Bellarminus innuere, *illud non esse*
VERÈ Monarchicum? An voluit inferre *illud*

(a) P. Zaccarias abundè probavit hanc Decretalium
collectionem Moguntiæ primum prodisse in lucem.

(b) *Decis. quæst. inaug. Heidelberg 1787.*

esse

esse ABSOLUTÈ Monarchicum? Quasi nullum
discrimen foret inter verè Monarchicum &
absolutè Monarchicum. Quasi hic non age-
retur de regime, quod potest esse verè
Monarchicum, licet non sit absolutè & un-
dequaquè Monarchicum. Attendat, si placet,
ad ea quæ dicit Gerson. (a) Sic enim habet.
,, Status Papalis institutus à Christo super-
,, naturaliter & immediatè, tanquam Pri-
,, matum habens Monarchicum & regalem
,, in Ecclesiasticâ hierachiâ, secundum quem
,, statum unicum & supremum Ecclesia mi-
,, litans dicitur una sub Christo: quem sta-
,, tum quisquis impugnare vel diminuere
,, vel alicui Ecclesiastico statui particulari
,, coæquare præsumit, si hoc pertinaciter
,, faciat, hæreticus est, schismaticus, im-
,, pius ac sacrilegus. Cedit enim in hære-
,, sim toties expressè damnatam à principio
,, nascentis Ecclesiæ usque hodiè tam per
,, institutionem Christi de principatu Petri
,, super alios Apostolos, quam per tradi-
,, tionem totius Ecclesiæ in sacris eloquiis
,, suis & in generalibus conciliis. « — Item,
,, (b) Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ... a
,, Christo collata est supernaturaliter Petro
,, sicut Vicario suo & Monarchæ primo,
,, pro se & successoribus usque in finem
,, saeculi » & postea pro absurdo habet
Regimen Ecclesiasticum non esse Monar-
chicum & habere multiplex caput, quod
quidem, inquit, est apertè hæreticum. «

(a) Tract. de stat. Eccl. confid. X.

(b) De Potest. Eccl. confid. X. t. 2.

Lector. Tamen multi vocem Monarchia repudiant.

Docttor. Quinam sunt illi multi, nisi vestri adulteratores. An forte quia ista Monarchia est Aristocratiâ & Democratiâ mixta? Sed id fanè nullo modo destruit Monarchicum regimen. Nam Gerson ipse met hoc aperte agnoverat & tamen in tractatu celebri de auferibilitate Papæ, postquam humanas Monarchias in Aristocratias aliquando converti posse, memoravit, ut olim in Republicâ Romanâ factum est, addit: „non „sic de Ecclesiâ Christi quæ in uno Mo- „narchâ supremo... fundata est à Christo... „& oppositum sentientes.. errant in fide.. „contra articulum illum, ET UNAM „SANCTAM ECCLESIAM. Consult. VIII «. Nonne Bellarminus ipse ivit in eandem sententiam, dum ait *L. I. c. 3 de summ. Pontif.* „Doctores Catholici in hoc conveniunt „omnes, ut regimen Ecclesiasticum homi- „nibus à Deo commissum, sit illud qui- „dem Monarchicum, sed temperatum, ut „suprà diximus, ex Aristocratiâ & Demo- „cratiâ ». Ergo planè corruit Febronianum istud, *de stat. Eccl. t. I. c. 2. §. 4.* » Nos „dum in naturam Primatus sollicitè inqui- „rimus, eam in statu Monarchico hujusque „juribus nullatenus deprehendimus; hunc „siquidem statum ab Ecclesiâ penitus exu- „lare, non solum superiore capite genera- „tim probavimus, sed ne unicum quidem „effectum juris Monarchici in sacro nostro „Primatu, qualis à Christo institutus & „ante falsas Decretales exercitus est, in „Ecclesiâ deprehendi.... demonstrabi-

„mus « Quapropter anteā dixerat non mi-
nus inaniter quām erroneē quōd » Princi-
„patus summi Pontificis per universam Ec-
„clesiam , non (sit) tam jurisdictionis ,
„quām ordinis & consociationis ». Item
postea. c. 5. §. 4. „ Ampla quidem auto-
„ritas , non tamen jurisdictione propriè talis ,
„Romano Pontifici , in omnes Ecclesias
„competit ». Hæc si vera essent , rueret
funditus Prærogativa Romanæ illius Eccle-
siae , quæ juxta Tridentinum est aliarum Ec-
clesiarum Mater & Magistra. Ergo , Reve-
rende Lector , tua conclusio est planè hæ-
retica & schismatica ; ergo directè sentis ,
contra id quod in constantiensi Synodo de-
finitum est : *Papa supremam habet auctori-
tatem in Ecclesiâ Dei.* Ergo eadem Synodus
non bene damnasset illud Wiclefi. Non est
de necessitate salutis credere Romanam Eccle-
siam esse supremam inter alias Ecclesias.
Ergo Febronius male retractavit in suâ ad
Pium VI Epistolâ , ubi dicit : *Cum Patri-
bus Concilii Florentini agnosco , &c. (a).*
Itaque si potestas illa non sit verè Monar-
chica , assigna tu tandem , qualis ea sit?

*Lector. Quæcumque illa fuerit , faltem adversatur
Concordatis Principum.*

*Doctor. Postea loquemur de Concordatis , nunc
autem sufficiat dicere , Reverende Pater Lec-
tor , hanc tuam propositionem esse schisma-
ticam. Inde enim sequeretur quōd Principum
Concordata possent potestatē à Christo
collatam restringere aut abolere.*

(a) Vide istum textum , Sopra p. 21.

Referendarius. Certè jurisprudentiae navavi operam, & ubique legi, Potestatem Ecclesiasticam esse prorsus à sacerdotali potestate independentem, nullumque jus in illam exercere Principes posse.

Doctor. Hoc est certo certius.

Lector. Nonne in potestatem sacerdotalem involant Pontifices, cum sibi jus sumunt mittendi Legatos & Nuntios Apostolicos? Istud enim est planè novum nec antè nostram epocham exercitum.

Referendarius. Hac super re vehementer cupio instrui. Quippe in aulâ nunc continuus est de Nuntiaturis sermo.

Doctor. Abundè est mihi, Domine, unde tibi faciam satis. Sed longum & prolixum nimis, omnia hæc examissim referre. Quoad fieri poterit brevissimè rem totam expediam; præcipua argumenta depromendo ex autoribus Patri Lectori probatissimis.

Referendarius. Pergratum mihi feceris.

Doctor. Sic habet statistica. Eccl. Germ. Heidelbergæ 1779 „ summum Pontificem poli-
„ lere potestate mittendi legatos, eò cer-
„ tius est, cum id ex ipsâ vi & naturâ
„ Primitus profluere satis compertum sit.
„ Cum enim ad jura Primitus pertineat
„ cura suprema ac generalis inspectio,
„ nemo erit, inficiari qui possit, id Juris,
„ per universam Ecclesiam pro unitate
„ fidei ac bono disciplinæ Ecclesiasticæ,
„ illi competere. Luculenter adstruitur in
„ extravag. Super gentes & regna. I. nn.
„ de consuet. inter communes; quidquid
„ demum de eo sit, quis sit hujus institu-

tionis auctor habendus, an Joannes XXII
cui communiter tribuitur, an vero Bo-
nifacius VIII, cui potiori suffragio ho-
dierni critici adjudicant. Idem hoc jus,
tanguam certum omnibusque jam tum
perfpectum probatumque supponit anti-
quissimus *Conc. Sardicensis Canone* (Græ-
cis §. 9. alijs apud Dionysium 7º), dum
integrum esse Papæ declaravit, ut Le-
gatos mitteret in Provincias, ubi instau-
randum esset judicium Episcopi, &c.
ac denique hoc ipsum jus, continuâ &
perpetuâ Ecclesiæ etiam per Germaniam
praxi, & indubitate historiarum fide conf-
stat. Corroborat Cl. Endres, *Discurs.*
Politic. Canon. De recusat. Visit. Apos.
§. 8. — Ex hoc ipso Jure Pontificis,
mittendi ad regiones Legatos, suaptè na-
turâ proflit jus habendi in Regnis &
Provinciis Vicarios & Legatos, cum id
& muneris ratio, & Provinciarum am-
plitudo manifestè exigant. Nam cum is
omnibus, in quos pastoralis cura ac
inspectio sepe extendit, adesse coram non
possit, prohiberi non potest, quin per
Legatos officii sui partes expleat.“

Referendarius. Non potest jus illius firmius stabiliri.

Doctor. Evidenter istud jus agnoscit ipse met Imperator Josephus II, prout summus Pontifex Pius VI disertis verbis testatur in suis ad Episcopum Frisingensem Litteris; (a) ubi sic ait. „Ipse certe Cæsar, cum ad

(a) Vide ad Calcem, N. 3°.

„ eum confugerent , apertè declaravit esse
 „ in sanctæ Sedis arbitrio mittere , si ita ipsi
 „ videretur , non solum unum sed tres
 „ etiam Nuntios , neque se , qui caput est
 „ Imperii , huic immisceri negotio debere ,
 „ cum illud certè nullo modo ad Constitu-
 „ tiones Imperii pertinere intelligeret .“
 Liceat nobis audire Pehem ipfismet Aca-
 tholicis haud inyisum . „ Ex eādem ratione
 „ Primas (29 .) jus sibi meritò vindicat mit-
 „ tendi Legatos , & Vicarios suæ potestatis
 „ in Provinciis constituendi ubique , si
 „ Episcopi omnes officio suo fungerentur ,
 „ si in negotiis ad statum Ecclesiæ univer-
 „ salis pertinentibus debito modo se fer-
 „ rent . Cessare quidem hujus juris exerci-
 „ tium posset , sed enim homines & ipsi
 „ Episcopi sunt . Ut igitur Primas pro viri-
 „ bus curare queat , ne quid detrimenti ca-
 „ piat unitas , prædictum jus à numero es-
 „ sentialium omnino excludi non potest (a) .“
 Quid ni etiam citem notissimum quemdam
 summi Pontificis conviciatorem & ideo ne-
 quaquam suspectum . Ille autem nuperimè
 in Universitatis Moguntinæ aulâ , inter Pro-
 fessorum plausus palam hæc professus est .
 Essentialia Jura ex fine instituti Primatus
 haurienda , consistunt in procurandis me-
 diis , sine quibus unitas servari nequit ;
 quo refero Jus mittendi Legatos ,
 & Vicarios suæ potestatis in Provinciis
 constituendi (b) .“

Lector . Non disputatur de Jure Legatos mittendi

(a) Pehem Præl . in Jus Eccl . p . I , § . 268 , &c .

(b) Monatschrift Moguntiae , Aug . 1788 , p . 645 .

in casibus urgentibus, ut ipse Bonifacius VIII
fatetur his verbis, in Extravag. I. de con-
suet. inter Communes. „ Pontifex cum per-
„ sonaliter singulas regiones circumire non
„ possit, nec circa gregem sibi creditum
„ curam pastoralis sollicitudinis exercere,
„ necesse habet interdum ex debito impo-
„ sitæ servitutis suos ad diversas mundi par-
„ tes, prout necessitates emerserint, des-
„ tinare Legatos.“

Doctor. Dic, amabo te, P. Lector, quis tunc
judicabit utrum urgentes necessitates emer-
serint nec ne? An Archiepiscopi fortassis?
Verum si Pontifex Nuntios mittere non va-
leat, nisi quando Archiepiscopi rem urgere
censemebunt, profectò non missus fuisset Nuntius
Poggio sub Hermanno à Weyden, aut
Nuntius Bonomo sub Gebhardo Truchses;
etenim quis dubitet, quin ambo apostatae
exemplò responsuri fuissent, necessitatem non
emersisse, nequè casum esse urgentem?

Lector. Nec antiquitus sic mittebantur Nuntii.

Doctor. Insaniunt vestri Doctores, cum id tam au-
dafter regerunt. Etenim teste celebri Schmidt
» In Historiâ Ecclesiasticâ, saeculo jam quar-
» to, occurunt Vicarii Apostolici, majores
» nimirum quidam Metropolitæ, quibus in
» certis Provinciis Pontifex vices suas com-
» misit, iisque una cum proedriâ ante alios
» jurisdictionem suo nomine ampliorem exer-
» cendam commisit, . . . « (a).

Lector. Certè magnum est discrimen, inter Me-
tropolitas Legatos & Nuntios Apostolicos.

(a) Inst. Jur. Eccl. Germ. tom. I, p. 219.
F 4

Metropolitæ enim sunt Legati nati, & Nuntii
sunt Apostolicæ Sedis Legati, seu delegati
quibus summus Pontifex ad tempus vices suas
committit.

Doctor. Præpostera sanè objectio! Quæras tandem
à Metropolitanis, quo titulo & quo sensu
se *Legatos natos*, imò se Metropolitas nun-
cupent? Quomodò respondebunt quin, quod
jam dixi, confirment. Igitur tibi replica cum
laudato Canonistâ Schmidt: » Vicariis hu-
» jusmodi suam originem debere Legatos
» natos, extra controversiam esse videtur.
» Is quidem Vicariatus ab initio non nisi
» personis concessus, ab arbitrio Pontificis
» dependebat. Paulatim tamen Cathedræ af-
» fixus fuit, unde nata occasio ut Metro-
» politæ isti se sedis Apostolicæ Legatos
» natos nominarent; quo titulo in Germa-
» niâ nostrâ utuntur Elector Colonensis &
» Archiepiscopus Salisburgensis. Etiam Al-
» bertus Archiepiscopus Moguntinus &
» Magdeburgensis se vocat Legatum natum.«
Jam autem si nihil obstiterit quominus Germaniæ Archiepiscopus fuerit Legatus fixus &
permanens, ut quid alius à summo Ponti-
fice hanc eandem provinciam vel permanen-
ter vel ad tempus gerere non æquè possit?

comes. Hoc est clarum & apertum.

Doctor. Si legas Gregorii Magni Epistolam longè
ante Isidori Decretales scriptam (a) in quâ

(a) Potuisset te ex eo Dominici Corporis communione
privari, quod admonitione sanctæ memorie decefforis
mei contempta, per quam eum, Ecclesiamque ejus
de tute jurisdictione potestatis eximit, rursum in eis
aliquid tibi jurisdictionis servare præsumperis. Ta-

conqueritur de Archiepiscopo Larissensi qui Suffraganeum Episcopum Thebanum per Gregorii Prædecessorem à jurisdictione Metropolitanani exemptum condemnaverat & deposuerat; ibi clarè videbis fuisse Constanti-nopoli Nuntios Apostolicos permanentes, quos *Responsales* vocabant. Videbis insuper jam Episcopos 69. sæculo dispensasse à Metropolitanani jurisdictione, & Metropolitanos, qui hanc exemptionem despicabantur sa-ecorum Mysteriorum indignos habitos fuisse. Plura possem adhuc addere, quibus nec Hedderichus, nec ejusdem farinæ dogmati-fantes quidquam omnino possent respondere.

Referendarius. Dicunt Legationes Apostolicas in Germaniâ Concordatis adversari? Quomodo hoc argumentum posset ritè solvi?

Doctor. Nil facilius. Nam est merum à Novato-ribus inventum: cum Concordata exactè declarent Sedis Apostolicæ prærogativas (in-ter quas Nuntiaturæ primas tenent) esse pro-tegendas & conservandas; ejus auctoritatem esse reverendam, & querimonias, si quæ orirentur, amicè transfigendas. Hæc est per-petua Imperii vox ante & post pacem West-

" men nos humaniū decernentes, communionisque tibi
" sacramentum interim conservantes decernimus, ut fra-
" ternitas tua ab eo, Ecclesiæque ejus omnem anteha-
" bitæ suæ potestatem jurisdictionis abstineat & secun-
" dum scripta decessoris nostri, si qua causa vel fidei-
" criminis vel pecuniaria adversus prefatum Hadrianum,
" confacerdotem nostrum poterit evenire, vel per eos,
" qui nostri sunt, vel fuerint in urbe regia *RESPONSA-*
" *LES*, si mediocris est questio, cognoscant, vel huc ad
" Apostolicam Sedem, si ardua sit, deducatur, qua-
" tervis nostra audentiæ sententiâ decidatur. " *Epist. 7,*
Lib. 2, Edit. Venet.

phalicam. Hæ sunt Imperii sanctiones pragmaticæ & fundamentales, ut ait Schmidt his verbis. » (Concordata) sunt porrò genuina
 » Constitutio Canonica, ut potè à legitimo
 » Legislatore Ecclesiastico lata; & si quid præ-
 » tereà requiris, etiam ad sensu Ecclesiarum
 » Germanicarum roborata, intuitu quoque IM-
 » PERII NOSTRI SANCTIO PRAGMatica
 » ET FUNDAMENTALIS (a) ». Deinde quo-
 modò Nuntiaturæ Concordatis adversarentur,
 cum in Capitulationis Juramento promittat
 Imperator se quæ Advocatum fideliter protec-
 turum sedem Apostolicam, summum Pontifi-
 cem & Ecclesiam Christianam. Jam autem
 protectio non est prærogativarum & Nun-
 tiaturarum revocatio.

Lector. Tamen Decreta Basileensia in favorem
 Principum citantur.

Doctor. Citantur perperam cum illa Decreta hâc
 de re, nequaquam loquuntur, neque etiam
 14us. Capitulationis articulus. Quomodo
 enim Principes Laici Papæ concederent Ec-
 clesiasticam Jurisdictionem, quæ ipfis nec
 competit nec competere potest Principibus.
 Legantur D. H. C. de Selchow, Elementa
 Juris pub. Germ. tom. I, §. 275. Ubi sic
 habetur. » De cætero ipsa jurisdictione univer-
 » salis summorum Imperii Tribunalium mul-
 » tis limitibus circumscripta est, qui vel ex
 » indole causarum, vel ex Jure primi fori
 » derivantur. Ex naturâ causarum cessat ju-
 » risdictione utriusque Judicij, primum in causis

(a) Schmidt Inst. Jur. Ecc. tom. I, p. 87. Vide etiam
 Barthol. Zallwein.

illigat. » Ecclesiasticis. Cum enim Imperator Catholicus omnis Jurisdictionis Ecclesiasticae omnino sit expers, eam cum Tribunalibus Imperii communicare non potuit; cum nemo plus juris in alterum transferre queat quam ipse habeat. «

Legatur quoque Schmidt, qui Principibus adimit qualemcumque jus Nuntios prohibendi ab ingressu in terras suas. Haec sunt ejus verba. » Quod si vero Pontifici jus perfectum eos mittendi denegari a Catholico non possit: huic vicissim ex altera Principum etiam supremorum parte respondebit obligatio in thesi saltem certa, ne Legatos ejusmodi ab ingressu in terras suas prohibeant, aut legitimis eorum functionibus in salutem animarum necessariis sese obstante culo ponant. — Nota: neque hic argumentum duci poterit a Legatis aliis, cum jam per sese sat luculentum appareat dis crimine: nulli quippe Principi supremo quidquam in alterum itidem talem ejusque terras juris competit; cum contra Pontifici, vi Primatus, cura totius orbis Christiani incumbat, atque in rebus ad salutem animarum pertinentibus, ejus sese Jurisdictione ubique protendat (a).

Lector. Transeant haec omnia pro Legionibus antiqui ævi; sed perinde non est de Legionibus novæ creationis.

Doctor. Sint novæ an antiquæ, quid ad rem? Num idcirco Nuntius minorem habebit Jurisdictionem? Num ipsius Jurisdictionis quid-

(a) Schmidt Inst. Jur. Germ. c. 1. sect. 3. c. 18.

(92)

quam detrimenti Jurisdictioni Archiepiscopali
inferet?

Referendarius. Libenter scire velim quæ sit Nun-
tiaturarum Colonensium origo.

Doctor. Pius VI in sua Homiliâ 24 Septembris
1775 prolatâ, cum Nuntium Bellisomi con-
secrearet, rerum & temporum seriem satis
edocet. Hæc enim dicit. » Originem hujusce
» ad tractum Rheni Legationis non possu-
» mus sine acerbissimo animi sensu mente
» repetere quia repetenda ab iniquissimo
» scelere Gebhardi Truchses Archiepiscopi
» Colonensis, quem sacrilego connubio junc-
» tum cum sanctimoniali Agneta Mansfeld
» Gregorius XIII antecessor noster, Ponti-
» ficio suo Decreto, exauctioravit dirisque
» devovit; atque hæc causa fuit, cur non
» ut antea, extraordinarius Nuntius solùm
» pro re natâ ac temporum necessitate ad
» eas regiones legaretur..... Sed ab eo
» tempore decerneretur, ut iis in regionibus
» ordinarius Nuntius, constituto sibi ibidem
» domicilio residere, qui suâ præsentia aut
» mala præcaverebat, aut certe nullâ inter-
» posita morâ repararet. Primus, qui hunc
» in modum ablegaretur, fuit Johannes-
» Franciscus Bonomo, Episcopus Vercel-
» lensis «.

Referendarius. Sed quidam, nostri præsertim aulici,
Archiepiscopum Damietensem Bartholomæum
Pacca graviter reprehendunt, quod inconsul-
tuo & inscio Electore Coloniensi se Nuntiu-
m Apostolicum dixerit,

Doctor. Inconsulto Electore, ais? Dic, Domine,
dic, revera consulo & sciente Electore,

sed tamen expressis verbis reluctantē, quia scilicet à Novatoribus fuit avocatus & in errorem illectus. Hac enim se sic habuerunt. Cum ante suum discessum, Electorem adire & salutare cuperet Illustrissimus Bellisomi, iustu Electoris cautum est, ne ille successorem suum habēret sibi comitem & in Aulam introduceret. Insuper Colonensi Clero fuit prohibitum ne solitos Nuntio adventanti honores pro more deferrent. Magistratus Colonensis Electoris nomine fuit requisitus ne eundem gratiosè exciperent; cui requisi-
tione, cum per tres dies Magistratus æquo reverentiū, quamquam ægrè & ingratias suis paruisse, tandem diuturniorem moram abrūpit, inurbanè & indignè factum reputans tam turpiter suo erga Nuntium Apostolicum officio deesse. Quod ad Illustrissimum Pacca attinet, ille nullum non movit lapidem, ut usque ad Electorem penetrare posset, sibique daretur ejus salutandi copia. Sed vicibus repetitis improbam repulsam est passus. Deinde cum idem Reverendissimus Pastores pro officio monuisset, ut Diœcœeos Rituale, à quo sensim declinabant, ad amus-
sim observarent; propter tam justum & rationabile monitum, inhonestissimis con-
viciis fuit in mandato quadragesimali lace-
sus, & indecorè habitus tanquam *sed-
tiosus, ignarus, mercenarius, à tenebrarum
spiritu instigatus* (a). Deinde eodem fere tempore, quo Illustrissimus Zondadari Bruxel-
lensis Nuntius e Belgio probrosè & contra

(a) Vide Mandatum vel Epistolam Pastoralem sum Regiae Celsitudinis Archiepiscopi Colonensis Monasterii datum 4. Februarii 1787. *Verit. Eust.* p. 92.

jus gentium expellebatur , omnibus viribus
in Aulâ Bonnensi allaborabatur , ut Nuntius
Colonensis tanquam Legum violator
& Concordatorum infractor ex Germaniâ
amandaretur.

Referendarius. Verum nonne injuriam Electori
intulit audacter mittendo illi Epistolam ?

Doctor. Audite factum & judicate. Cum Nuntius
acepisset à Pio VI. Epistolam Electori red-
dendam , nec posset illas in manus dare ,
scripsit ad Electorem Monasterii tunc de-
gentem , atque Litteras Pontificias Epistolæ
suæ inseruit. Quid factum putas ? Incredibile
prorsus & inauditum facinus , in sedem
Apostolicam injuriosum supra omne id quod
excogitari potest ! Quippe , suadentibus se-
ductoribus , remissa est sua Nuntio Epistola
cum hoc dictorio ? Cum Reverendissimo
„ ac Serenissimo Archi-Episcopo & Elec-
„ tori Nostro , de Nuntio Coloniæ existente
„ nihil praeter impressum quoddam injurio-
„ sum constet ; hinc litteras hic annexas
„ remitti , & declarari jussit , illas cum
„ qualificatione Nuntii Apostolici acceptari
„ non posse. Datum Monasterii iu West-
„ phaliâ , 20 Decembris 1786. Ex Cancel-
„ lariâ Secretiori Rdmi. ac Seren. Archi-
„ Epis. & Elect. Colon “.—

Referendarius. Hoc certè incredibile videtur.

Doctor. Neque tamen est minus verum.

Lector. Si tunc hanc injuriam haud merebatur
Nuntius , cum nulla alia ei suppeteret via ,
quâ Litteras Pontificias transmitteret , illam
aliundè sibi accessiverat mittendo ad Pasto-
res Archidiæcœsos encyclicam Epistolam .

Referendarius. Quid autem continebat famosa ista Epistola?

Doctor. Rem exponam ab ovo. Non est tibi in memoriam revocandum, Domine, quæ jam inde novisti; nempe declarasse Tridentinum nulla & irrita esse matrimonia illa, quæ in gradibus prohibitis contraherentur; & jus super illis dispensandi fuisse summo Pontifici relictum.

Referendarius. Hoc est cuivis notissimum.

Doctor. Meminisse insuper juvat tres Electores sibi necessarium duxisse ad sedem Apostolicam habere recursum, ut facultates dispensandi obtinerent; quas, quoniam non nisi ad quinquennium concedebantur, quinto quoquè anno renovandas curabant. Hæc de re nullum omnino dubium movebatur, donec Nuntiaturas abrogandas esse censuerunt Germaniæ Archiepiscopi. Reverendissimus Bellisomi Reverendissimi Pacca Antecessor saepius & frustra pastores monuerat de matrimoniorum, quæ jam tum ad novi systematis normam celebrari incepserant, invaliditate ac nullitate. Itaque summus Pontifex animo reputans infinita quæ inde scaturirent mala, jussit Reverendissimum Nuntium Pacca, Archidiæcesis Pastores monere per Epistolam encyclicam ne hujusmodi dispensationibus temerè obsequerentur (a). Hæc autem Epistola moderato ac circumspecto stylo concepta erat, eaque nemini injuriosa. Ne autem nimiam acquireret in vulgo notitiam, & simul,

(a) Vide ad calcem. N. 4^o.

ut Dignitatis Archiepiscopalnis ratio habere-
tur , eam clanculum ad singulos Pastores
transmitti curavit secreta veredariorum vi-

Referendarius. Certè nunquam potuisset cau-
tio major adhiberi. Ego verò vidi istam
epistolam , in quam aulici assentatores ad
rabiem invehebantur. Evidem nihil in ea
reperiebam , quod rationi , legibus & ur-
banitati non esset consonum ; sed frustrâ
quidquam objectasse , reclamantibus &
vociferantibus ad ravim aulicis & neo-Doc-
toribus.

Doctor. Quid tandem censem , dum vidisti
mandatum quo Pastores Litteras à Nuntio
Apostolico acceptas jubebantur ipsi per sum-
mam injuriam remittere , cum illa odiosa
cautela , ut exigerent à *Poſtarum* seu vere-
dariorum administratore , apocham , quâ pro-
barebatur hasce easdem litteras fuisse retro-
missas.

Referendarius. Hoc dicam aperte , & de Horn-
Goldschmidt Vic. Gen. Coloniæ , & Offi-
cialis Confluentinus , & Baro Schutz de
Holtzhausen Vic. Gen. Moguntinus , rem
fecerunt inverecundam , arrogantiâ plenam ,
& à bonis quibuscumque , imò ab ipsis Aca-
tholicis valde improbatam . Certum est eo-
rum Metropolitas hoc nequaquam aut dic-
tasse aut iussisse ; sed conjicere licet illos
turpiter illusos ac deceptos ad summum vel
dissimulasse , vel non graviter satis inhi-
buisse. Hæc privatim serio discutiemus. Ri-
gebunt tibi capilli , Domine , cum nefandas
aulicorum machinas & infernales eorum
molitiones tibi revelavero. Cæterum non
conticuit procul dubio summus Pontifex ?

Doctor.

Doctor. Nec quidem tacere licebat. Scriptit itaque ad Archiepiscopum Maximilianum literas suavissimas, quas ad longum legere juvat. (a). Interim jussu Electoralis Rescripti 28 Decembris 1785, sub pœnâ arbitriâ omnibus assessoribus, advocatis & procuratoribus inhibuit Coloniensis Officialis de Schonheim ne quis in ullâ causâ Nuntiaturam adiret, neque in causâ etiamnum pendente ulla decreta sollicitaret. Deinde 12 Januarii 1786 fuit significatum, deinceps Nuntiaturâ extinctâ, commissarios à Serenitate sua Electorali esse denominandos ad examinandas finiendasque causas. Tandem 23 Januarii 1786, idem Officialis de Schonheim tulit Decretum, quo declarabatur, Nuntiaturâ jurisdictionem spectandam esse tanquam pro toto Romano Imperio sublatam, adeoque in nullâ causâ, nedum in causis internis sed & externis esse adeundam. (b) Idem fecerunt pro suo respectivè districtu Moguntinus, Trevirenis & Salisburgensis Archiepiscopi.

Referendarius. Horum omnium recordor optimè, cum sub oculis nostris gesta sint. Nec sine bonorum omnium stupore & mærore. Nostri enim, ut de uno Maximiliano loquar, hujus Regii Principis avitæ fidei studium & amorem, nec te fugit quantæ sit pietatis, modestie & humanitatis.

Doctor. Apprimè scio; omnia virtutum genera illum decorant. Sed quid inde? Stipatus ab aulicis, ab assentatoribus, a novatoribus,

(a) Vide ad calcem N. 1º.

(b) V. ad calcem N°. 5. 6. 7.

miserè illuditur , captatur , allicitur ; & veritas ad ejus aures penetrare non potest. Putat se rem suæ jurisdictioni & æquitati consentaneam agere , dum summo Pontifici , inscius & nolens , horribilem infert injuriam. Argumentum novum esto probosum illud responsum ad præfatas Pontificis litteras , amore & benevolentia plenas (a).

Referendarius. Hoc responsum vidi & exclamavi : pereat ille tenebrio , qui optimum Principem adegit ad signandas , quas ipsi obtrusit litteras tam ingratas , tam irreverentes , & quæ reverè possent à Pio VI. in ipsum Maximilianum potiori jure retorquéri.

Doctor. Sed audi reliqua. Ad has schismaticas Electoris declarationes jam indè quatuor ante mensibus præluserant quatuor viri à totidem Archiepiscopis deputati. Quippè mense Augusto 1786 , Emfium , ignobile oppidum acatholicum , unà coiverant , & ibidem in tabernâ vinariâ , inter cachinnos & cyathos jucundantes se , & exultim balneorum undas agitantes , in materiâ adeò gravi , quælia sunt Sacramenta Universalis Ecclesiæ Canonibus derogare sacrilego ausu præsumpsérunt.

Comes. Hæc , quæ nos longius abducent , remittamus , si placet , in proximum Colloquium. Sunt mihi quædam litteræ expedienda , & vix suppetet tempus ante cænam.

Referendarius. Arbitrium tuum sit , Domine Comes : obsequimur.

(a) Vide ad calcum. N°. 2°.

Comes. Unum est quod monitos vos velim ; scilicet nos aliquot dies à Colloquis vacaturos. Inter alia negotia, erit etiam mihi officiosa ad Dominum Commendatorem visitatio iteranda. Valete.

COLLOQUIUM DECIMUM QUARTUM.

COMES, DOCTOR, PASTOR.

Comes. Haud dubiè Sacellanus, tibi, Domine Pastor, caufam aperuit fuse Coloniam itionis.

Pastor. Utique, Domine, Comes. Nihil me cœlavit, & videtur magnam ex isto itinere nactus esse animi voluntatem.

Comes. Illum improbas scilicet ?

Pastor. Ut quid improbare ? Secutus est conscientie dictamen. Si judicavit fuisse erroream, nonne satius fuit illam deponere ? Scio : perculisti eum, & commovisti maximè ; itaque si voluissem illum à proposito avocare, frustrà tentassem.

Comes. Tu verò, Domine Pastor, an ab ejus exemplo abhorres ?

Pastor. Non equidem abhorreo, sed huc usque ægerrimè tuli, Domine Præposite, quod huic nostræ Germanæ labem Heterodoxie inspergas ; dum agitur dumtaxat de rebus Ecclesiæ disciplinam concernentibus, & per concordata receiptis & stabilitatis. Quare enim Concordatis derogemus ?

Doctor. Non derogabatis ante schismaticam Fe-

G 2

bronii farraginem. Ex isto informi centone
in Novatorum favorem consuto, introducta
sunt principia exotica, primò Viennæ, deinde
passim per Germaniam adoptata, propter
unicam præcipue rationem, nempe quia
hujusmodi principia in Principum commoda
& favorem vergere videntur, sicut ver-
gebant olim cum Principes bonorum Ec-
clesiasticorum usurpatione inescabantur.

Pastor. Febronius in suo opere pretiosas Eccle-
siæ Gallicanæ libertates vindicavit.

Dotor. Ain' tu verò? Sed quantum aberras,
Domine Pastor! Etenim Galli, quorum li-
bertates se tueri insulsa jactitat compilator
ille, tam falsa principia certatim repudiant,
& fatentur illa unitatem Ecclesiæ infrin-
gere ex eo, quod non tantum Ecclesiæ Ca-
pitis, sed & Patriarcharum, Primatum, Me-
tropolitarum jurisdictionem funditus delé-
rent. Hi enim nec antiquioribus, nec con-
stantioribus, nec magis universim receptis
titulis gaudent præ Romano Pontifice. Dein-
dè constat & Febronium & ejus asseclas,
quales sunt isti omnes thesum fabricato-
res, non inniti nisi auctoritatibus vel deprava-
tatis, vel fictis, uti jam toties demonstra-
tum est. Da gloriām Deo, Domine Pastor,
nonne tu met sibi deprehendisti eorum ma-
lam fidem & improbitatem? Sed sentio,
grave tibi est palinodiam canere, postquam
omnem adhibuisti operam, ut huic nefando
systemati auctoritatem conciliares. Theses &
dissertationes schismaticas inter collegas &
confratres sparsisti, eos in errorem induxis-
ti, imò sermones Sedi Apostolicæ injuriosos
& piarum aurium offensivos apud ignaram

plebem habuisti frequenter, & sic inobedientiam erga Christi Vicarium fovisti. Eheu ! quot mala deflenda, detestanda, reparanda ! Id agas scilicet , Domine Pastor ?

Pastor. Quasi ipse nescias probè quot & quanta superfint hâc super re dicenda.

Doctor. Quasi ipse non apprimè sentias , Domine Pastor , nihil solidum nobis opponi ; si enim per tempus vacaret ; (sed deficeret nos annus .) Illas futile & tædiosas dissertationes decurrissim à capite ad calcem , & ad evidentiam demonstrassim , quâm potiori jure assignandum illis esset quod perperam post Febronium , Sanctorum Patrum dictis attribuebat D. Sacellanus , (a) , nimis , esse figuratas aut ampullatas Patrum elocutiones , quæ rei substantiam non mutant . Imò , dico fides , Domine Pastor , an tu quidem huc usque quidquam attulisti in medium , quod planè non solverim . Ausculta me igitur , hoc unicum suadentem , nempè , ut ad Deum supplex recurras , eumque ores enixeris . Ille enim petenti , quærenti , pulsanti haud deerit . Hæc meditare , in his esto Hoc enim faciens , & teipsum salvum facies & eos , qui te audiunt (b) .

comes. Cùm habeam neminem cui plusquam tibi benè velim , ex resipiscientiâ tuâ voluptatem capiam incredibilem . Vale .

(a) Supra pag. 20.
(b) I. Tim. IV. 15. 16.

COLLOQUIUM DECIMUM QUINTUM.

COMES, COMMENDATOR, REFERENDARIUS,
DOCTOR.

COMMENDATOR. Quām grata mihi accidit hēc desiderata tandem visitatio. Profectō vester hic conspectus mentem meam mirē recreat. Vir es, Domine Comes; quōd secundō Dominum Doctorem & D. Referendarium mihi adduxeris.

Comes. Libenti ad te advolamus animo, gaudeamusque vultum esse tibi habitorem & succi plenum.

Commendator. Evidēt facies non omnino languida, sed crura fatiscunt. Verū ad alia divertamus. Nonne objurgabis me, Domine Comes, quōd libros tibi non remiserim. Volum illos semel iterūque pervalvere. Heus! heus! Non hīc de lanā caprinā agitur, ast de rebus gravissimis quidem. Non ita statim questionis apprehendebam anteā. Sed nunc actum est, volo esse genuinus & germanus Romanæ Ecclesiæ filius.

Doctor. O! auream vocem!

Commentator. Jam sentio quanti sit pretii Romano Pontifici adhærere ex corde. Non amplius vacillo, nec de his nugari velim in posterū. Abominanda mihi videtur quam stulte tuebar Febronii & istorum Thrasonum Doctrinam. Ingerebant illi opinionem oppositam fuisse à Bellarmino & Jesuitis inventam & vulgatam.

Doctor. Hâc in re Ecclesiam stolidè inculpant. Iis
si habeatur fides, Jesuitæ censuras Academia-
rum, à quibus excludebantur, contexue-
runt; Episcoporum, quorum potestatem re-
stringebant, manum & calatum direxerunt;
Pontifices Romanos edocuerunt; Bullas &
Apostolicas constitutiones dictaverunt; fa-
mosum denique Alexandri VII Formula-
rium composuerunt; ita ut Ecclesia, non
obstantibus Christi promissis, in imbecillitatem
prolapsa, ab istis, quibus fidem adhibebat,
seductoribus tandem nunc liberata, nec
amplius Spectro Jansenistico territa, se-
quatur nunc probata principia relictae er-
roneis. Id nimirūm audacter astruit Bon-
nenfis ille Froitzheim, *dissert. inaug. 1788,*
p. 65. his verbis. » Fateor à tempore, quo
» Professores certi cuiusdam instituti in Ger-
» maniam & Ecclesiam Colonensem pe-
» netrârunt, occupando Cathedras sanctas,
» Canonicas & Theologicas, ex Cathedris
» disseminata fuisse principia curiae quorum
» p̄œcones iudicem ex professo erant: verum
» num hi principia Ecclesiæ Germanicæ,
» nec non characteristicæ nostræ Colo-
» nensis pessimum dare, atque iis vel in mi-
» nimo derogare poterant? minimè: ete-
» nim eorum hominum auctoritas erat pri-
» vata, quæ principiis ac juribus in Synodis
» nostris receptis & publicatis, quibus ineft
» vera potestas legislativa, nec in minimo
» poterant derogare; atque certa spes est,
» fore, ut *dissoluto nunc hujus instituti*
» *nexus*, ex cathedris vera ac genuina de-
» potestate Episcopali principia haec tenus à
» Germanis tradita in omnium animis in-

» veniant ingressum , expurgato fermento
» veteri «.

Commendator. Ex his & pluribus aliis calumniis probè perspicio controversiam hanc omnem a Jansenistis & Febronianis fuisse excitatam , ut suum systema liberius disseminarent . Sed Dominus Propositus habet undè eos retundat acriter .

Doct̄or. Nimio me honore & laude dignaris , Domine Commendator .

Commendator. Nequāquam . Nec enim temerē & ab te loquor : sciatis velim hāc transvisisse vestrum Bonnensem Sacellatum , cum Coloniā reverteretur . Itineris sui causam & exitum mihi ex ordine narravit . Profectō placuit mihi hāc laudanda immutatio . Nec mora ; ejus exemplum secutus , jam apud confessarium conscientiam deposui , & indē , Deo sint gratiæ immortales , deliciosam sum nactus animi tranquillitatem . Verū scire aveo quid agat , quid dicat Pastor vester ? Est enim novatorum antesignanus , dux & rector : omnes suos Confratres sibi habet omnino devictos . Ipsi durum erit errorem suum confitēri , eò quod verecundiā ductus , sit futurum ut timeat ne aliis fiat ridiculo .

Doct̄or. Nonne gloriosum est suam culpam fātēri , & errata resarcire ?

Commendator. Imō gloriōsissimum . Sed non istud est de quo agitur . Tantū considerare vos velim , quam paucis datum , ut pudorem vincant , & errorem suum candidē fateantur . Tu autem , Domine Referendarie , dic , amabo , confidenter ; quid istis de rebus cōfēses ?

(105)

Referendarius. Absque tergiversatione ullâ vobis assentior, &c, censeo meum Principem manifestè fuisse abductum in errorem. Ubi Dominus Præpositus cætera adversariorum argumenta ressolverit, tunc porrò istos impostaores non formidabo posthâc. Serenissimum reverenter congregiar, nec dubito quin velum, quod ejus oculis obduxerunt, dilacerem, ut tandem cognoscat quinam sint illi Doctores aulici, & in primis nequam ille Hedderich, quem quidam graphicè & nativis coloribus depinxit (a).

Commendator. Ego verò, sincerè loquar: sum enim totus teres atque rotundus, & gladio quam verbo exercitatiōr. Non habeo unde eorum fallacias argumentis refellam; sed ingenuè credo & sine fuso; nec vel minimum mihi superest dubium.

Doctor. Similis es primis illis Christianis, qui argumentari nesciebant, sed sciebant mori. Tibi licet huic puncto infistere, nec ultius progredi; ast, Domino referendario non item, Æquum enim est, ut omnia perscrutetur, & ideo necesse est ut omnes difficultates obviæ ei resolvantur; alias non posset ipse objectionibus aut potius cavillationibus respondere. Proindè nihil illum latèrē debet. Præterea noster Lector etiam habebit plurima proponenda.

Commendator. Quisnam ille est?

Comes. Scilicet est Minorita omnibus ipsis novitatibus imbutus. Nequidem novit ratiocinari, sed jurat in verba Magistri; multa objicit;

(a) Liliendahl, apud D. Buinineck.

memoria tenet omnia Emfienium Principia
& Neodoctorum Sophismata; nec tamen par
est illis propugnandis. Mox , post objectam
& resolutam quæstionem, caufa cadit. Tunc
ut papilio ad alia volitat, quæ cum antedictis
nequaquam cohaerent.

Doctor. Ideoque valde dubito utrum resipiscat.
Novi ego illos cucullatos , qui opinionum
pravitate Germaniam nostram infarcunt. Pri-
mò disciplinæ regularis nervos relaxaverunt;
dein quoquè sensim ab Ecclesiâ desciverunt,
& sic evénit ut lentum virus per diversa
corporis regularis membra serperit, & tan-
dem praecordia prorsus invaserit. Unde salus
est omnino desperanda.

Commendator. O tempora! ô! mores!

Comes. Cæterum vehementer lætor , Domine
Commendator, de hâc vestrâ tam optatâ
resipiscientiâ. Fxit Deus , ut plurimi ita
laudandum exemplum sequantur. Nunc cum
advesperascit, nos missos facias oportet. Vale.

Commendator. Unum hoc adhuc addam , ut quæ-
cumque opera hâc super materiâ prodierunt
in lucem , ea mihi compares. Impensas
ex affe repandam. Vale , Domine Comes ,
valete quoquè colendissimi.

COLLOQUIUM DECIMUM SEXTUM.

**COMES, DOCTOR, SACELLANUS,
REFERENDARIUS.**

SACELLANUS. Io, triumphe! ter io! Heri summo manè abivit Pastor Coloniam.

comes. Ut quid illuc?

Sacellanus. Nempe errores suos ut abjiciat,

comes. Optime factum. Deo sint grates. Certè timebam ne tergiversaretur. Et verè dolebam, cum polleat ingenio, moribusque sit inculpatissimus, Ecclesiasticae Disciplinæ studiosissimus, suis denique muneribus ritè obeundis accuratissimus. His præclaris dotibus omnium reverentiam & necessitudinem sibi conciliavit. Una hæc labes eum dedecorabat.

Doctor. Hinc nullus dubito quin ejus exemplum plurimos in semitam rectam reducat.

comes. Hinc etiam magis magisque elucet, quam opportunè huc adyeneris, & quam iniquè huic itineri obstitisses.

Doctor. Candidè fateor. Tot & tantos fructus haud prævidebam.

Sacellanus. Sinite narrem ex ordine quid nudiùs tertius egerit Pastor, cum reversus est à vestro peculiari Colloquio. Statim in oratorium suum se recepit, diù oravit, multum gemituit, & flevit amarè. Janua erat semi-aperta & ex meo cubiculo, omnia poteram excipere oculis & auribus. Tandem præ-

properè surgens & ad me advolans ruit in amplexus & exclamavit : *Dixi nunc capi, hac mutatio dextræ Excelsi.* Tum , amice , inquit , adesto mihi , & mecum libros nefandos ignibus devove . Mox Febronium , Pereriam , Eybelium , Pehem , venenata Theologorum Viennenium compendia , theses & dissertationes Moguntinas , Trevirenses , Bonnenses , Ticinenses , adulteratum per summum nefas Erud . Schenkl syntagma & cæteras improbi Exminorite spurias merces unâ projicimus in acervum in medio cubiculo : deinde singulatim eos mittimus in ignem , cantando , *Dirupisti , Domine , vincula mea , tibi sacrificabo hostiam laudis , &c.*

Doctor. Ex tam prompto sacrificio auguror , Pastoris conversionem sinceram fore . Certè non is est , qui leviter à sententiâ discedat .

Sacellanus. Ei indicavi , illum , quo usus sum à confessionibus , virum verè plium & docutum . Perendiè huc remeabit . Interim , Patri Lectori melius ut palper , & ejus expilcer animum , ambulatiunculam proposui ad quemdam pastorem in viciniâ .

COLLOQUIUM DECIMUM SEPTIMUM.

*COMES, REFERENDARIUS, DOCTOR,
PASTOR.*

CO M E S. Expectatissimus advenis, Domine Pastor. Absentiæ tuæ causam novimus. Quā successit iter?

Pastor. Optimè quidem, si parvulum obicem excepis, ex quo tamen me oppidò extricavi. Vix Urbem ingressus in amicum incurri, qui me ambabus ulnis strinxit, & reluctantem adegit ut secum prandērem. Id sane meo proposito haud aptè cohærebat. Ille enim totus est Jansenianus seu Febronianus (ð deplorandam & sœculis futuris execrandam Honthemii celebritatem!) Continuò verba fecit de Juribus abventitiis Romani Pontificis, de Decretalibus, de Nuntiatulis, de Emilianis *Canonibus* (PUNCTUATIONIBUS, inquam). Ego verò jure meritò timens ne disputationem unā iniремus interminabilem, finebam tacitus eum loqui, nec quidquam respondebam. Quod cum advertisset, tandem mirabundo similis, nœtu, ait, mihi es valdè frigidus & præ solito morosus. Sum utique, reposui, nempè ob aliquod negotium, quod me totum absūmit. Ille verò rogare, urgere, ut rem ipsi aperirem. Suo tempore scies, dixi, & sic ex ipsius manibus me, quoad potui citissimè, expedivi.

Doctor. Et cautè quidem factum, quod tuam illi

meritem haud explicueris. Tunc enim præter modum te lacestivisset.

Pastor. Hoc prævidebam scilicet. Itaque ab illo expeditus, in hospitium tempestivè me recepi. Sequenti die haud prodi ex ædibus, & diem solidum egi in præparando animo. Heri apud Poenitentiarum, quem D. Sacellanus mihi indicaverat à confessionibus, deposui conscientiam: & tandem hodiè huc revertor latus omnino & tranquillus; non quod omnia perfecerim; adhuc enim multa peragenda superesse sentio; sed quæ Dei beneficentia est, sentio quoque me satis animatum, ut strenue in viâ incæptâ progrediar, & ea quæ major Dei gloria animæque meæ salus exigunt, peragam fortiter.

Comes. Nimis defatigatus eris ex itinere; itaque cras à colloquio vacabimus, ut corpus reficias.

Pastor. Nequaquam, Illustrissime Comes; etenim sentio me sanum & alacrem: nempe, gratia divina suppeditavit mihi vires & alas. Post hujusc noctis quietem, ero satis ex lassitudine refectus.

Comes. Vale igitur in crastinum congreßum.

COLLOQUIUM DECIMUM OCTAVUM.

COMES, REFERENDARIUS, DOCTOR, PASTOR,
SACELLANUS, LECTOR.

COMES. Demùm nostra colloquia vergunt ad exitum. Si quid Reverendo Patri Lectori occurrat præterea objiciendum, scio Dominum Præpositum & audire & respondere paratum.

Lector. Toto coelo aberrat, qui præsupponit materiam de Nuntiaturis esse evacuatam: semper enim stat quòd iste permanentes Nuntiaturæ adversentur directè Episcoporum iuribus.

Doctor. Quandoquidem dictis acquiescere haud lubet, probabo primùm frustraneum esse, quod ponis discrimen inter Nuntiaturas extraordinarias seu ad tempus, & inter ordinarias, fixas & permanentes. Dein probabo ulterius easdem Nuntiaturas iuribus Episcoporum adeò non adversari, ut quidem iura ista communiant & tueantur.

Itaque extra dubium est, idque ab ipsis Emiensibus receptum, posse summum Pontificem, quandcumque aut necesse, aut conveniens esse judicat, mittere Nuntios Apostolicos. Id jam probatum est, nec contradixisti, Rde. P. Lector.

Lector. Nequedum contradico.

Doctor. Quæ cum ita sint, sic pergo: jus mitendi invehit jus statuendi diuturnitatem

Missionis aut Legationis; de quo jure nulla à duobus sacerulis controversia mota est. Nonne enim à Ferdinando I. ad Josephum II., sub decem scilicet Cæsaribus permanens fuit Vindobonensis Nuntiatura? Nonne Colonensis ab apostasiâ Gebhardi Truchses ad Maximilianum usque hodiernum Electorem? Nonne aliquandò Madritum, Olyssiponem, Varsoviam, Parisos mittuntur Legati extraordinarii, Etiam si ibidem residenceant Nuntii ordinarii & fixi? Proinde concludendum Pontifices jus habere vel ad tempus vel permanenter mittendi Nuntios prout necessarium aut utile esse censuerit.

Dixi secundò, illas Nuntiaturas, juribus Episcoporum favere, non adversari: Vosquè quodquot estis, testes appello. Ex quo mota est famosa illa & prius numquam auditâ de abrogandis Nuntiaturis quæstio, profiteamini apertè? An crevit, an potius non est arroso & penè labefactata illa Episcoporum potestas, quam Nuntiaturæ Sacram semper & illibatam pro virili servaverunt. Econtrà admittantur famosæ illæ Punctuationes Emſienses, tunc omnia fus dequè cadent. Nec in hoc fiet quidquam præter rerum indolem & cursum.

Lector. Nil facilius dictu.

Doctor. Nil quoquè probatu facilius; cum principia, quæ vestri Emſienses statuunt, tum de jurisdictione Pontificiâ, tum de adventitiis primatus juribus, profindequè de Nuntiaturis, evertant simul 1. & jurisdictionem Episcoporum 2. & statum Capitulorum 3. & Disciplinam Religiosorum, 4. & autoritatem seu potestatem Imperantium, 5. & populorum

pulorum pacem, felicitatem, mores, avitam fidem. Quippe tunc Synodus Tridentina abrogaretur, leges Ecclesiasticae & Canones recepti antiquarentur, Hierarchia evanesceret, & schismate consummato, nulla demum fides inveniretur.

Lector. Quot & quanta infers, Domine Praeposite, quæ probanda restant?

Doctor. Probabo equidem, ut promisi, quæcumque in medium protuli; quapropter claritatis ergo singula resumam per partes. Res enim maximi est ponderis & momenti, nec ullo modo sfernenda.

I. Itaque dixi primo, principia seu Febriniana, seu Emiensia, seu, si magis placet, Jansenistica thesibus & libellis citatis vulgata quoad Jurisdictionem Pontificiam & jura Primitus, quæ vocant adventitia, dixi, inquam, illa principia evertere Episcoporum Jurisdictionem; quod sic probo:

Ecclesiæ constitutio est essentialiter connecta, cum Jurisdictione Apostolicæ Sedis, sine qua nulla esse potest unitas. Atque Episcoporum potestas Ecclesiæ constitutioni est essentialiter annexa, ergo quoque eadem potestas essentialiter est connecta cum Jurisdictione Apostolicæ Sedis (a). Ergo Emien-

(a) Porro id satis sentiebat Benedictus XIV, cum haec monita dedit Episcopis. Ne in suas constitutiones aliquid obrepere sinant, quod, ulla ratione, Apostolicæ Sedis aut auctoritati injuriam irroget, aut iura immunita: ob eam quippe conjunctionem, & necessitudinem, quam membra cum suo capite habere oportet, maxime deceat, ut ipsi prima sedis prerogativas, quæ hanc præsertim tempestate, multorum invidiæ in discrimen vocantur, sedulè defendant, & pro viribus promovant: suam enim cau-

ses in jurisdictionem Pontificiam irruentes
potestatem Episcoporum dirunt.

Insuper. Præcipuum Episcopatus robur promanat
ex unitate; quippe mediante illa preciosâ
unitate Episcopus habet sibi subordinatos
& unitos tum cooperatores Ministros, tum
suæ Diœcesis populos. Deinde fulcitur ipse
cum suis Ministris & Dicecensis potestate
& viribus totius corporis Episcopalis, nempe
in personâ capitatis Ecclesiæ, cui est strictè
unitus. Ponamus igitur casum, quo minis-
tri Episcopis inferiores debitam Episcopo a
Romani Pontificis jurisdictione segregato su-
bordinationem excutiant. Quid inde seque-
tur? Nimirum tunc concuriet universa
Episcopi auctoritas, sublato cooperatorum
& Fidelium concurru, studio, operâ. Nunc
autem ulterius argumentari liceat. Cum Epis-

sum agunt, cum Supremi Pastoris auctoritatem propug-
nant, & sustinent; quoniam, si hujus jura revertantur,
paulatim pariter inferiorum presulum jurisdictione nutabit,
& corruet. Hac optimè considerant Patres Concilii Du-
xiacensis I. habitu anno 871, cui Episcopi unus & virginem
per se, octo per suos procuratores subscripti pere, cum ad
Hadrianum II, Papam in Synodali Epistola, qua extat
in Collectionis Harduini tom. 5, col. 1321, ad rem ap-
positè atque ad posteriorum exemplum maxime opportune
ita scripsere: "Quia ergo nos, quantum scimus & pos-
sumus, privilegium sancte ac primæ Sedis Romanae
& conservare, & obedire, & extollere cupimus, atque
satagimus, pro suo scilicet Principatu, quem Beatus
Petrus Apostolus, Domini voce perceptum, Ecclesiâ
nihilominus subsequente, & tenuit semper, & reti-
net; servet vestra paternitas, & a Deo in primâ sede
constituta auctoritas, nobis filiis, & subjectis fibi
Episcopis Ecclesiastica privilegia, a sacris Canoni-
bus, & vestris decessoribus, ac praedecessoribus,
nostris conservata: quatenus & Apostolica Sedes pro-
prium vigorem retineat, & a se concessa alijs sua jura
non impinguat".

corpus Pontificiae Jurisdictioni se subtrahens & se a primo Pastore sejungens, tunc suis peculiaribus prærogativis dejectus aut saltem vix suffultus, ad corpus Ecclesiæ non pertineat amplius, & amittat in sibi subordinatos omnem illam auctoritatem ac potestatem, quæ a suâ erga Pontificem Romanum subordinatione & Catholicâ unione omnino pendet; bene sequitur, quod soluto illo sacro nexu, qni eum corpori Ecclesiæ astrin-gebat, oves suas in schisma, & in hæresim fit præcipitatus. Ita Alexandrini, Antiocheni, Constantinopolitani in errorum abyssum prolapsi sunt. Ita avita Fides in Britanniâ in Sueciâ, in Daniâ periit. Ita tandem Episcopi, a Capite suo sejuncti, durum sæcularis potestatis jugum subierunt. Ita itidem subire cogentur in posterum quotquot a Romano Pontifice descendent (a).

Lector. Commodè hæc odoraris, Domine; quasi

(a) Ex his habetur elucidatio vocis EPISCOPATUS genericè sumptæ, quam Novatores Germani generatim sumptam peculiariter attribuunt Episcopis in suis Dioecesibus circumscriptis, & præcisè quâ talibus, nullâ habitâ ratione ad Romanum Pontificem, contra communem Patrum, Conciliorum, Theologorum, Canonistarum sensum. Hi enim EPISCOPATUM accipiunt tanquam Archiepiscopos, Metropolitanos Patriarchas, ipsumque Ecclesiæ Caput comprehendentem. Hinc Thomasius dicit: *Monendus est Lector, EPISCOPATU de quo haecenüs sermonem habuimus, comprehendi Metropolitas, Archiepiscopos, Patriarchas sive Primate, & IPSUM DEMUM SUMMUM PONTIFICEM PETRI SOLIO SESSITANTEM: unus enim ordo Sacerdotii & Episcopatûs, quo omnes fulgent, sed JURISDICTIONIS CONTEMPLATIONE ALIIS EMINENTIORES, ea quo Sedium dignitatumque tanta varietas exigit, quâ Hierarchia Ecclesiastica mirificè venustatur.* Thomas. Eccl. Disc. C. 3.

Episcopis deesset, Metropolitarum quibus
subjacent, auxilium & protectio?

Doct̄or. Quod auxilium, aut quam protectionem
expectes a Metropolitis, qui Romano Pon-
tifici nullo sunt vinculo astricti. Hi enim vo-
lentes se ad altitudinem Capitis extollere,
mox e nimio culmine caderent. Quod certe
non eveniet Christi Vicario, qui ob immen-
sam sui regiminis extensionem, & attentā
membrorum, quibus praeſt, qualitate, ma-
jorem debet adhibere mansuetudinem & cir-
cumſpectionem in ſuæ potestatis exercitio.
In veftro autem ſchismatico ſystemate, loco
unius ſummi Pontificis, vel totidem exur-
gerent Papæ quot Epifcopi, vel quotquot
reſcenſerentur Metropolitani, totidem praeſ-
tent despotæ, eò audaciores quo minorem
in puſillo grege reſiſtentiam invenirent; eò
duriores, quo certius & propius ferirent.
Tunc eveniret indubitanter quod jam ev-
enit Epifcopis, qui uſurpationibus Emſianis
graviter reſtituerunt, & qui idcirco tot &
tantis conviciis fuerunt laceſſiti (a). Tunc
ſi ob non admiſſum Emſieneſe latrocinium pa-
lam traducti fuerint tamquam *infenſati*, imò
& ſcelerati, quid non fiet poſteā? Tunc deni-
que nulla amplius eſſet in Epifcopatuſ ſupe-
rior Potestaſ, qua abuſus poſſit reprimere.
Ulterius urges à pari. Si ſummuſ Pontiſex,
cujus Primatus eſt Juris diuini, poſteſtatem
non habet Legatos mittendi, & Apoſtoli-
cam Juriſdiſctionem exercendi, verbi gratia,
in Archidiæceſi Colonienſi, ergo à fortiori

(a) Hos inter præcipue annumerandus eſt Spirenſis ob-
liſteras ad Cæſarem miſtas.

Archiepiscopus ille, cuius dignitas est dumtaxat humanæ institutionis, nullam certè Jurisdictionem valebit exercere, nullam reservationem constituere in Episcopatu Leodiensi aut Monasteriensi, cum juxta Emsianorum principia Episcopatus Jura sint imprescriptibilia, nec possint per leges aut canones restringi.

Longius progredior & insto. Si, ut Novatores profitentur, Episcopi non plus habent Jurisdictionis in sue Diceceos Parochiis, quam ipsimet Parochi, vel quam Papa ipse in eorum Diœcesibus. Si, juxta eodem Novatores, supremus Pastor nec possit absolvare, nec ullam functionem Episcopalem extra Romanam Dicecesim exercere, nisi de consensu Episcopi Dicecesani, bene sequitur quod Episcopus non valeret ullâ curiali functione defungi, nisi præviè obtento Pastoris consensu. Jam autem quis non sentit istas inductiones, quæ suâ Episcopos Jurisdictione exueret, legitimè sequi ex illis contibus insanis, quibus certatim allaboraverunt Emsiani, ut Nuntiaturas supprimerent, suaque Cathedras ad æqualitatem Romanae sedis extollerent.

Lector. Claducat paritas, Domine Præposite; quia Episcopi habent pro se consuetudinem & Canones.

Docto. Te hic opportunè expectabam, R. P. Lector; nam ipsi Sacerdotes etiam retorquent, & dicent cum Febronio, potestatem Sacerdotalem ad baptisandum & prædicandum esse æquè imprescriptibilem; reservationem quamcumq. pro sacro Tribunalij iuri divino adversari, & Sacerdotes non minus

quam Episcopos imò ipsismet invitis jure potiri ministerii sui functiones obeundi, non tantum in eorum Dioecesisibus, sed in omnibus mundi plagiis, quondcumque judicabunt illud ad Ecclesie utilitatem esse necessarium. Consequenter inferent legem aut consuetudinem quamlibet, quæ potestati Sacerdotali sicut & Episcopali derogaret, esse à naturâ suâ nullam prorsus & irritam (a). Simul ac his principiis imbuti fuerint Sacerdotes, uti & fideles, conclamatum erit de Ecclesie auctoritate. Omnes existimabunt se Conciliorum Canonibus, Episcoporum decisionibus, aut excommunicationis comminationibus nullo jure coerceri posse; nam si juxta Februum, has (Leges Pontificis Romani) propter intrinsecam earum aquitatem Episcopi tenebuntur acceptare, quandò eas judicabunt aptas ad promovendum bonum Religionis & disciplina Ecclesiastica; quarè eodem jure non possint easdem leges & decreta, quæ Roma emanari, non acceptare, quandò populis suæ curæ creditis utilia non fore judicaverint imò potius apta ad gignendos tumultus in

(a) " Nec Jurisdictio Episcopis hoc titulo (*Quæcumque ligaveritis*, &c.) attributa, seu præscriptionis, seu alia quâcumque viâ eis abrogari potest.... Itaque gregi fidelium & saluti animarum noetetur neglectu atque abdicatione iurum Episcopalium, aut partis eorumdem. At contra voluntatem & mandatum Christi, contra Evangelium, contra ius gentium, denique contra communem publicam Christiani orbis non præscribitur a. Febro. de Sta. Ecc. tom. I. c. 8. §. 6. n. 4. p. 664. — Neminem fugit.... Episcopos & Parochos, una cum Presbyteris, qui sub eorum auspiciis, directione ac nutu in Parochiis operantur, solos esse primævos & necessarios Ecclesiæ Ministros. Porro primitivus ille, & inter omnes solus immutabilis Ecclesiæ status, &c. *Ibidem*.

fidi illarum regionum (puta Germanie)
populo (a) ? Si, inquam, de Episcopis erga
summum Pontificem , si de Sacerdotibus
erga utrosque hoc dixeris , quid ni etiam
illud cæteris fidelibus applies adversus Pon-
tificem , Episcopos & Sacerdotes quoscum-
que. Nunc quid vobis videtur , Domini mei ?
¶ An demonstravi , ut promiseram , Principia
Emfiana Episcoporum Jurisdictionem diruere
funditus ?

comes. Legitimæ revera consequentia , quibus
nihil occurrit opponendum ! Perge modò ,
si placet , Domine .

Doctor. Pervelim. Igitur dixi secundò Principia
II. Emfiana evertere Capitulorum & Cathedra-
lium Jura ; nam in illis , quas jam exposui ,
rerum circumstantiis , Ecclesiæ Cathedrales
& Collegiatæ à Metropolitani aut Episcopi
snuu pendèrent penitus , nec ullus patrèret
ipsis ad Romanum Pontificem recursus ,
indèque eveniret , ut Capitula eorum jugum ,
quod pro suâ quisque libidine aut intem-
perie aggravaret , subire tenerentur , & tan-
dem hæc eadem Capitula dilacerarentur ac
dissolverentur. Exemplum illud esto Geb-
hrardi Truchses , qui juxta principia Em-
fiana potuisset Capitulum & Clerum in
suam infamem apostasiam pertrahere. Id
conabatur efficere scilicet , & perfecisset
quidem , si , prout statuant nostri balneatores ,
& Capitulum & Clerus ab illo pe-
pendissent , quemadmodùm egregiè probat
Benedictus XIV , hisce verbis . » In aliqui-

(a) Febr. de statu Eccl. t. 1. c. 5. §. 2. n. 4. 5.
H 4

bus Germaniæ Capitulis ; tunc solum
 Episcopis auctoritas esse dicitur procedendi
 contra Canonicos, Beneficiatos, aliosque
 Ecclesiæ Ministros, quandò Capitulorum
 Decani in jure reddendo negligentes, jus-
 titiam petentibus administrare recusant.
 Vide de hâc re Pirhing, *in jus Canoni-*
cum lib. 2, tit. 2, sect. 3, §. 1, num.
74... & quidem Saravia in suo tra-
tatu de adjunctis, quæst. 1. n. 41, af-
serere non dubitavit, numquàm tantam
vim habitura fuisse duo illa Capitula Bel-
lovacense in Galliâ (a) & Coloniense in
Germaniâ, ut sepe validè, viriliterque
opponerent Præsulibus suis tunc, cum
ambo, sicut legimus in historiis, à fide Ca-
tholica defecerunt, nisi fuissent à jurisdic-
tione suorum Episcoporum immunia. « (b)

Referendarius. Ex hoc Benedicti XIV loco sa-
 tis evincitur necessitas & ratio exemptione-
 num quæ Capitulis fuerunt concessæ. Quàm
 libenter, te Domine, de his tamen eruditè
 differentem auscultamus ! Sic clarescunt
 multa, quæ opacis tenebris occultabantur.

Doctor. Est mihi hâc super materiâ, quid aliud
 addendum. Legat *Punctuationem VIII.* Et
 videbit ibidem abrogari ac Romano Ponti-
 fici deinceps interdici omnes resignationes
in favorem (c). Legat Punctiones sequen-

(a) Cùm Cardinalis Coligni a Châtillon Calvinista à
 Pio IV. Purpurâ ac Episcopatu exutus & anathemate
 percussus fuit.

(b) Bened. XIV. De Syn. Diæc. I. 13. c. 9.

(c) Alter sentiebat Van Espen : dicit enim, part. 2.
 tit. 27, c. 2. n. 5. *Resignationem in favorem hodie so-*
lus Papa admittere potest; adeo ut nec Legatus eam pro-
bare possit. Hac opinio hodie communiter tum à Cano-
nistis tum à Theologis recepta est.

tes, quæ si vim haberent, actum de Capitulis foret. Nominaret nempè Episcopus ad suum beneplacitum & in suum certè commodum, clientes sibi gratos, suæ voluntati addictos, suo obsequio mancipatos. Respueret pro libitu hos vel illos; imò sub vanis prætextibus, declararet Præbendas vacantes, & Canonicis ejus gratiâ orbatis alios substitueret. Recusaret omnes quascumque in Ecclesiarum Germanicarum statutis dispensationes (a): supprimeret pluralitatem beneficiorum & Coadjutorias, maximum certè abusum à summo Pontifice jam diù resecandum, sed tamen cui nimium locum dant nostri Germaniæ Episcopi, non sine salutis suæ & alienæ detimento, idoneitatis testimonia concedentes indignis, imò parvulis septennibus, cum avert favere propinquis aut amicis, Brevitatis causâ reliqua prætereo. Ex his

(a) Juxta stolidos Balneatores, quilibet Episcopus potest dispensare in legibus Ecclesiæ universalis; sed Papa non auderet quidquam immutare in Capitulorum statutis. Non ita *visum est spiritui sancto & Concilio Colonensi*, anno 1536, part. 3. c. 19, cum dicebat "Habent ferè, quotquot sunt Cathedrales aut Collegiales Ecclesiæ, suum volumen peculiarium statutorum, quæ interdum pro affectu privato cuiuslibet augmentur & crescunt. Inter hæc repertas quam plura, quæ questum magis quam pietatem respiciunt.... Et quamvis inter hæc pleraque iniqua repertas, adiunguntur tamen omnes, qui recens admittuntur, ut ad ejusmodi statutorum observacionem citra ulium delectum jurejurando se alligent Super quibus Espenius hoc animadvertisit part. I. c. 5. n. 13. "Hinc quisque disset non cæco modo in Statuta & Ordinationes Capitulorum esse jurandum, sed ea prius meritò examinari, & expendi debere: eosque multum ballucinari, qui sibi licitum credunt, quidquid in statutis probatum inventur. "Sed errat Espenius, errat synodus Colonensis, si Emsianum Conciliabulum Concilio Provinciali imò generalibus Ecclesiæ Constitutionibus prævalebit.

satis resultat & ex sequentibus, tūm ex Bullā à Heddericho confictā, tūm etiam ex aliā Bullā jam prænuntiatā & brevi ex Hedderichiano tabulario extrahenda (b), Germaniæ Episcopos in Capitula, Archiepiscopos in Ecclesiæ Cathedrales & in ipsos Episcopos, quorum electioni præerunt, pleno jure dominaturos, sive & Episcopos & Canonicos voce, suffragio, prærogativis privandos & ad nihilum redigendos.

Referendarius. O! Domine, si scires aulicorum dolos, machinationes, adulaciones ut Præbendas pro se aut suis obtineant, nosse adhuc melius, quām certum sit tuum vaticinum! Nihilominus yir mihi vidēris divino spiritu afflatus.

III. Doctor. Honesta oratio est, Domine. Sed, ut ut sit, dixi tertio, Religiosorum disciplinam ex Emilianis punctionibus iri enervatum &

(a) In Oratione Bonnenis Academiz inaugurali dixerat. Hedderichus: *Theodorus Comes de Moers, electus Archiepiscopus Colonensis anno 1414 sub Martino V Pontifici. in regnante sibi jure ordinario ac nativo conferendi Dignitates & beneficia, quod anteceſſores... suis Capitulis non Aula Romana cesserant. ... a predicto Pontifice Literas impetraverat datas VIII Kal. Decembris, an. Pon-*
tificatus XIII IN ELECTORALI ARCHIVIO ASSEVERATAS ADHUC INEDITAS, queis jus conferendi Beneficia varia ac Dignitates in Metropolitanam & alios Collegiatis Coloniensibus, illi concessum legitur: quas Litteras suo tempore orbi litterato communicabimus. Post toti orbi cognitam Bullæ Pauli II suppositionem, non audebit falsarius alteram Martino V alignare, nisi omnia verecundiae repugna laxet. Nec mirum si eō temeritatis devieniat. Superbia enim eorum... ascendit semper. Ps. 73, ut vide est ex iis que contra Zaccariam & de Feller ipsius turpitudinem palam revelantes, impudenter debilaterat Hedderichus cum illuminatoribus Moguntiniis.

penitus proculcatum ; atque id satis liquet : statuit enim Concilium Tridentinum , ut Regulares Episcoporum Jurisdictioni quidem subjicerentur quoad ea , quæ ministerium externum concernunt : verumtamen illos ab eorum Jurisdictione exemit quantum ad disciplinam internam , nisi casu quo eveniret ut Regularis observantia labasceretur , & Superiorum negligentiæ obviandum esset . Hæc providè fancivit Tridentinum , quò scilicet inter ejusdem familie Religiosos per universum orbem latè diffusos , idem vitæ tenor , eademque Disciplinæ uniformitas invariabilis staret ac fixa ; & ità omnia corporis membra sub uno capite continerentur . Verum quid non eveniret , si singuli Episcopi hanc sibi Jurisdictionem arrogarent ? Tunc enim videre foret pro diversis Dioecesibus aliam atque aliam eorumdem Regularium observantiam . Pro locorum diversitate , variæ introducerentur innovationes . Placeret huic Episcopo hanc Constitutionem abrogare , alteri alteram . Ille nova statuta condideret , hic alium habitum gestandum subrogaret , adeoque ritus , Congregationum Decreta , Regulæ , domesticus ordo , vicius ratio , constitutiones denique omnes , prout cuivis Episcopo libitum esset , immutarentur aut antiquarentur ; ità ut brevi temporis spatio dispareret uniformitas , nec ab una Dioecesi ad alteram , ejusdem ordinis membra deinceps possent dignosci . Porro , Religionis vinculo sensim dissoluto , omnes Regularium familie interirent . Sed quid his immorer , cùm hujus veritatis assertorem habeamus ipsummet Emilianorum Patriarcham Febronium . Ejus verbis nihil est quod su-

peraddamus : dicit enim in suâ retractatione ; » Exemptio Regularium , quorum magna in Ecclesiam utilitas , eorumdemque immediata subjectio ad Apostolicam » Sedem , legitimis ex causis in bonum » non tantum Religiosorum ordinum , sed » etiam universalis Ecclesiæ , videlicet ad » faciliorem eorumdem sub uno supremo » Capite gubernationem , introducta , & ab » omnibus Ecclesiis agnita , nedum à seculari potestate , sed nec ab unâ particulari Synodo abrogari valet . Abusibus » ex hâc exemptione enasci valentibus per » Concilium Tridentinum occursum & proximum est . «

Pastor. Hæc certè omnem dirimunt controvèrsiam.

Lector. Retractavit Febronius , quæ in suâ retractatione invitus & coactus scripserat.

Pastor. Indignum facinus ! utri potius credas ? Febronio-ne resipiccenti , an Febronio ad vomitum reverso ? Sanè non me contineo præ indignatione .

Lector. Ut quid tanta commotio ? Nonne si qua lœsio aliundè illata fuerit , semper patebit ad Imperantem recursus ?

Doctor. Id dicunt Emisienses scilicet ? At perperam . Non ignoro quidem quid vestri Metropolitæ jam fecerint . Hi enim suo seculari Principatu non satis communiti , suâ Ecclesiasticâ & Archimysticâ Jurisdictione haud sufficienter suffulti , Imperantis potestatem enixè imploraverunt . Videre fuit rem omnino præposteram , ac Conciliis & rationi adversantem ; nimisrum , Hortatur *sænda*

Synodus (Tridentina) omnes Reges, Principes, Magistratus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut velint Episcopis, Abbatibus ac Generalibus, in contextæ reformationis executione, suum auxilium & autoritatem interponere, ut sine ullo impedimento præmissa rectè exequantur ad laudem Dei omnipotentis. (a) Nunc autem protectionem Regum aut Principum implorant Archiepiscopi non ad Canonum tuitionem sed ad eorundem interitum. Cernas illos ad Cæstrem certatim recurrentes, ut ille approbare non gravetur, quæ de remittendâ ad Nuntium Apostolicum encyclicâ pastoribus mandaverant. Quorum postulatis sic annuit Imperator. 27^a Martii 1787. Quod proinde ratum habéret sua Cæstrea Majestas, quod Dominus Elector subjectis sibi parochis remissionem hujus encyclicâ mandaverit. Deinde suâ autoritate eam suppressit in illorum Dominiis. Hæc sunt ejus verba. *Hinc sua Majestas hisce dictam Encyclicam summo Jure CASSARET ET SUPPRIMERET, etiam Domino Elektorri MANDARET, ut universis sibi subdilis Ecclesiasticis hanc sequutam cæssationem de verbo ad verbum per suos Ministros AUCTORITATE CÆSAREA NOTIFICARE & quandò hoc factum in termino DUORUM MENSUM NOTIFICARE DEBEAT.*

comes. Intervenient itaque deinceps Principes quicumque, ut jam intervenerit Imperator, ad reformanda Canonum & Apostolicae Sedis Decreta, si ea præter usum aut beneplacitum emanata esse somniaverint?

(a) Ses. 25 de Ref. C. 22.

Dotor. Sic est, Domine Comes; adeoque sæcularis potestas de æquitate seu iniquitate Decretorum Apostolicorum Judicium feret, in materia merè spirituali.

Lector. Quasi ignoraremus quid sæpè fecerint. Principes adversus Romanos Pontifices?

Dotor. Non putabam, R. P. Lector, te in propositionis hæreticæ confirmationem, nobis allegaturum ea, quæ quandoquæ fecerunt quidam Principes tempore schismatum, nempè ubi Ecclesiæ inter antipapas divisiæ, eorum nullus certum jus babebat in populorum obedientiam. Verum, si, ut contendunt & Emfenses & vestri thesium fabricatores, judicare Principes possint de exteriori Ecclesiæ disciplinâ; si hodiernam abolere, antiquatam restaurare, Conciliorum Decreta abrogare, & omnia pro suo jure immutare, restringere, relaxare valeant, profectò aëtum est de Ecclesiâ Dei. Tunc enim Pontificis Jurisdictione sublatâ, corruet quoque omnis Episcoporum Jurisdictio, & pari jure quo Episcopi imperantis potestatem implorabunt, eodem certè Clerici immortigeri, Religiosi indisciplinati & suum statum exosi, Parochi morosi, qui juxta Pistoienses se cum Episcopis coæquant, Magistratus denique discoli ad eandem Imperantis mediati seu immediati potestatem confugient adversus Episcopos & ARCHIMYSTAS. Deinde Laici dissoluti Pastores suos coram Tribunali sæculari traducent; imò ipse-met Imperans nec rogatus, neque provocatus, statuet de Ecclesiasticâ disciplinâ quidquid omnino libitum fuerit. Adeoquæ, qui se volebant a Romani Pontificis Jurisdictione prorsus eximere Episcopi

& Archiepiscopi, Imperantis jugum subibunt;
isque ampliorem exercebit in illos Jurisdictionem,
quam unquam exercuerint summi
Pontifices. Tunc consummabitur schisma, cu-
jus ipsimet Metropolitæ erunt autores.
Tunc denique omnis Episcoporum Jurisdictio-
nem ac autoritas planè corruet, &c, ut ver-
bis Cabassutii utar, » *Simile quid illis eve-
niet divina huic apud Isaiam comminationi:*
*PRO EO QUOD ABJECIT POPULUS ISTE
AQUAS SILOE, QUÆ YADUNT CUM SI-
LENTIO, PROPTER HOC ECCE ADDU-
CET DOMINUS SUPER EOS AQUAS FLU-
MINIS FORTES ET MULTAS.* Sic enim
renuentes hâc in parte summo universalis Ec-
clesiae Pontifici subjici, compelluntur indi-
gnissimè laicorum Judicium infirmorum decre-
tis obtemperare. (a) Aut, si liceat mis-
cere sacra profanis, tunc renovabunt Me-
tropolitæ tritum equi apogum, qui cer-
vum ut cursu assequeretur & debellaret,
hominis opem deprecatus, fræna sibi injici
passus est. Is autem hoste superato, fesso-
rem, cui deinceps durè serviret, habuit.
Eheu! Meminerint temporis acti, &c ca-
veant à futuro. Legant quod olim factum
est, & præveniant id quod aliquando fieri ite-
rùm potest. Nec vana prædico. Detur enim
nobis Imperans, quod Deus avertat, quales
erant, ne ex Germaniâ excurram, Otho primus
& Fredericus primus. Tunc caveatis vobis
Germaniæ Archiepiscopi, ne quem implor-
atis protectorem vestræque imaginariæ Ju-
risdictionis assertorem ac vindicem, inve-

(a) Theor. & prax. Juris Can. L. 3, C. 27, N. 6.

niatis Ecclesiæ vastatorem , & vestræ dignitatis destructorem . Caveatis , inquam , ne aut iteretur scena illa horrenda , quam Imperator Otho universæ Germaniæ exhibuit anno 965 erga Heroldum Salisburgensem Archiepiscopum , cum ipsi oculos effodi jussit : aut ne libitum sit Imperanti castastrophen Arnoldi Archipräfulis Moguntini renovare , cum illum Fredericus canem (Tormenti genus tunc temporis infame supra quād quod excogitari potest) coëgit ignobiliter gestare . Sed esto ; Imperantes in posterū nunquād eò crudelitatis , ferociæ & impietatis deveniant : nihilominus in systemate punctuatorum , corruit omnis Episcoporum & quidem Archiepiscoporum Jurisdic̄tio & auctoritas . Declaravit enim Imperator PUNCTUATIONES seu Decisiones Emfientes nullum posse habere locum & valorem nisi per Dominorum territorialium interventionem . Præterea Archiepiscopi , utut amplissimæ sint tām in temporalibus quād in spiritualibus potestatis , tamen non eandem habent considerationem apud Imperantes , non ejusdem sunt ponderis vel auctoritatis , ac summus Pontifex , ejusque Apostolicus Nantius . Hanc thesim probare possum ab exemplo , non è scriniis Hedderichianis eruto , sed è gestis recentibus , hodiernis , vulgatissimis deducto . Consuluntur enim Boruſlorum Regis Rescripta ad Clivienſes missa , die 14a. Maii 1787 , & patet quād fortiter se Rex opposuerit molitionibus & violationibus ab Archiepiscopo Colonensi in agro Clivienſi attentatis . Scilicet Fredericus istius agri independentiam strenue est tuus , tum titulo exemptionum

nionum à Romanis Pontificibus olim concessarum , tūm vi Pacis Westphalicæ Art. §. §. 48. Hisque privilegiis innixus Rex sanxit ut subditi in iis quæ ad jura Pontificalis ordinis pertinent , deinceps vel ad Nuntium Apostolicum recurrerent , vel ad Episcopum Leodiensem seu Paderbonensem aut Remundanum ; nullatenus autem ad Archiepiscopum Coloniensem. Exclusio certè odiosa ! ex quâ satis patet Metropolitas adeò suam auctoritatem non ampliasse , ut potius valde minuerint . Exemplum alterum esto illud , quod exhibuit Palatinus Elector. Etenim hic Princeps factus certior Archiepiscopos sibi jus arrogasse posthac in matrimonii impedimentis dispensandi propriâ auctoritate & absque ulteriori ad Sedem Apostolicam recursu pro obtainendis de more facultatibus quinquennalibus , serio vetuit suorum Dominiorum Parochis , ne ullum mandatum aut dispensationem ullam Archiepiscopalem admitterent , quæ suo non essent munita Placito . Deinde postquam Serenissimus ille Elector rescivit Wormatiensem Vicariatum scripsisse Pastoribus Palatinatus , ut incunctanter Nuntio Apostolico suam retromitterent Epistolam circularem , quâ nimis nullæ & irritæ declarabantur dispensationes reservationibus Apostolicis contrariae : cum intellexisset præterea , quosdam inter illos parochos , à Vicariis generalibus subornatos , debitam Romano Pontifici & Imperanti Electori obedientiam obliquè detrectare , eorumq. Imperio clanculum se subducere : mox Religiosus Princeps non immēritò succensens , jussit Parochos , sub pœnâ sequestrationis & confiscationis redi-

tuum , remittere Vicariatus Mandata , illaque
deinceps flocci facere , quamdiu non fo-
rent suo *Placito* firmata . Sic cautum Man-
hemii 6^a. Maii 1787. Referamus denique
quod accidit Augustæ Vindelicorum. Palatino
Electori concesserat summus Pontifex
Bullam pro decimis percipiendis. Quid pu-
tatis egisse Vicariatum Augustanum ? Rem
certè incredibilem & arrogantiæ intolerabi-
lis ! Nempè Bullam illam supprexit , eique
substituit facultatem Bullæ de verbo ad
verbum omnino conformem , non tamen
sub Pii VI. nomine emanatam , verùm iussu
Episcopi ex plenitudine potestatis expeditam.
Jure meritò indignatus Elector , quòd ho-
munciones illi Augustani , simiarum more
summum Pontificem simularent , & in Pseudo-
papas se erigerent , graviter ac strictè jussit
istud , dicamne stolidum an scandalosum
Vicariatus *indultum* supprimi , & nihil pendi.
Hinc conferte , si placet , hæc mandata tum
à Frederico , tum à Carolo Theodoro in
Metropolitas & in Augustanum Vicariatum
non sine eorum dedecore lata , cum illâ
singulari benevolentia , quâ Excellentissimus
Pacca fuit à Borussorum Rege , applauden-
tibus Aulæ Magnatibus , honorificentissime
palam exceptus ; item quâ Excellentissimus
Zoilo summâ cum honorum omnium gra-
tulatione Monachium advénit , & à Sere-
nissimo Electore omnibus humanitatis , be-
nevolentiae , magnificentiæ testimoniis fuit
impertitus.

Lector. Oggeram facta quæ has honoris testifica-
tiones expungunt penitus. Loquar de illo
Salisburgenſi Archiepiscopo , qui Nuntii

(131)

Apostolici Litteras dilaceravit , & pedibus calcavit ; de quodam Passavensi Episcopo , qui virum cum Nuntiis Epistolâ missum collaphis & calcibus exceptit ; de quodam Comite à Wittelsbach , qui stricto gladio coram ipsomet Imperatore , in Nuntium incurrit , ut eum transfoderet .

Doctor. Video , Pater Lector ; scilicet jam legisti salisburgensis Archiepiscopi Memoriale seu *Pro-memoriâ ad Imperii Comitia missum (a)* . Ibidem hujusmodi facinora enumerantur , quae non tam vergunt in summi Pontificis vituperium & contemptum , quam potius in auctorum impiorum dedecus & potissimum in impudentissimi scriptoris infamiam , qui talia Archiepiscopo suggestis sempiterno ipsius probro vertenda . Certum enim est Praesulem Colloredo , si haec nefanda nefariorum facta in suo Memoriali irrepuisse sci- visset , illa fuisse expuncturum . Quippe illa harum ferocitatum commemoratio , approbatio est . Et indè judica , R. P. Lector , quam gloriose , quam pie jus suum firmet Archiepiscopus adversus Nuntiaturas , imò potius infirmet !

Lector. Ut quid infirmaret cum ad Imperii Comitia recurrat ?

Doctor. Hoc ipsum est , quod dicebam . Isto præpostero recursu potestatem Archiepiscopalem abjicit . Quod ut probem , R. P. Lector , vis-ne referam quis sit in Austriacis Domi-

(a) Vide *La défense des réflexions , suivie de l'examen du Pro-Memoriâ de Salzbourg.*

mis præsens Episcoporum status? Namque ibi ad Imperantis nutum vel se subjicere coguntur, vel dura experiri. Citabo Archiepiscopum Goritiensem, qui Archiepiscopatu cedere coactus fuit; Episcopum Namurensem, qui exilii mandato, quamquam dein revocato, fuit affectus; Cardinalem Archiepiscopum Mechliniensem, Episcopum Antverpiensem, & Rosnaviensem in Hungariâ jussu Cæsareo Vindebonam acceritos, quorum primus, ægro licet corpore, ibidem sistere se debuit, alter ob graviorem ægritudinem obire vadimonium haud potuit, tertius ob denegatam matrimonii dispensationem pecuniâ multatum fuit. Mitto alias atque alias decretis, iussionibus, minis vexatos. O! Vos Germani Præfules, in Confrates vestros Austriacos, Belgas, Hungaros, Longobardos oculos conjicite: sed quid dico? In vos metipos oculorum aciem deflectite; videte quam prompte, quam exacte Cœsaris iussa, ad rem divinam spectantia, in ejus Dominiis, quo vestrae Dioeceses se extendunt, exequi debeat, & cavete ne, qui Imperantis opem reclamatis, à Principibus Brandenburgicis, Hanoveris, Palatinis, Saxonibus, Brunswicanis, Wirtembergis, & aliis, quibus multa nova & inusitata adversus Romanam, pro vestra, quam prætenditis, jurisdictione & independentia, arroganter & imperiosè insinuatis; cavete, inquam, ne vobis tam mites & regimini Ecclesiæ propitiros, subito exasperatos reddatis, & vestra ridicula jura incondite tuendo, rem Catholicam omnem, cuius ruinæ certatim allaborant tenebricosi vestri Neo-doctores, pessumdetis, atque ex totâ Germaniâ ejiciat.

(133)
tis. Sed Deus hanc pestem nostris avertat ab
agris!

Lector. Quasi verò, si qua inferrentur Metropoli-
tis ab Imperantibus injuria, non habeamus
Concordata, quæ sunt ad amissim obser-
vanda?

Comes. De his, si placet, posteà; nimis enim
protrahitur hoc Colloquium. *Claudite jam
rivos, pueri: sat prata bibere.*

COLLOQUIUM DECIMUM NONUM.

COMES, REFERENDARIUS, DOCTOR, PASTOR, SA-
CELLANUS, LECTOR.

DOCTOR. Provocasti me nuperrimè, R. P.
Lector, ad Concordata. Videamus, si lubet,
quid hâc super materiâ objectare velis?

Lector. Multa quidem; & primum dic⁹ Concordata, utpotè sacram Germanie PALLADIUM, esse inviolatè ac religiosè custodienda & ob-
servanda.

Doctor. Hoc ipsum dixit in suâ retractatione Fe-
bronius. Itaque absit ut Concordatis, quæ
ipsosmet Archiepiscoporum conatus impro-
bant, ullo modo contradicam; adeò enim
non obstant Pontificum juribus aut Decretis, ut
potius eadem protegant, afferant & fir-
mius stabiliant. Id satis liquet, non quidem
ex thesibus falsa enuntiantibus, nec ex punctua-
tionibus balneariorum, nec ex Bullis fallario-
rum, sed ex inspectione capitulationum, &
ex prælectionibus Canonistarum ac Jurisperi-

torum etiam acatholicorum. Hinc quidquid conati sint Metropolitæ , necdum tamen immensa argumentorum, scriptorum, documentorum undique conqueritorum mole , imò necdum suâ Bullâ suppositiâ (quam absit ut Religioso Principi adscribam) obtinere potuerunt, nec , quamdiù fas & jus vigebit, obtinebunt unquam à Ratisbonensibus Comitiis , Nuntiaturarum abrogationem.

Nihilominus , quantumvis adhæream Concordatis , fas fit mihi dicere Concordata non parum nocuisse Ecclesiæ Germanicæ regimini & disciplinæ. Quod ut magis pateat , & contraria contrariis opposita eluescant , oculos in Clerum Belgij aut Galliæ tantisper projicite. Heu ! quam diversa facies , quam absimilis rerum ordo ! Ibi nullus non comam , non habitum clerialem & vestem talarem gerit. Videte Ecclesiæ Cathedrales & Collegias. Ibi nulli Canonici otiosi , nullus non ipsomet Sacerdotio initiatus. Confessiones excipiunt , Dei verbum annuntiant , moniales dirigunt , Seminariis præsunt , Examinatores sunt & Episcoporum Consiliarii. Videte Diœceses ? illas per regiones divisas quotannis perlustrant Episcopi Missionariorum manus stipati , sacro verbi divini pabulo reficiunt oves , salutaribus monitis ac instructionibus in Pœnitentiæ Tribunal communiant , Eucharistia cibo nutrunt , lupos fugant aut arcent. Videte Cathedrales ? Has cum suis Canonici frequentant Episcopi , horis Canonici & concionibus intersunt , aut ipsimet concionantur. Videte Episcopalia palatia ? Sunt Pastorum ac Sacerdotum diversoria , quæ si vitarent , reprehenderentur , dum in Germaniâ ingressus quidem denegaretur. Videte Paro-

chias? Nemo ulli præficitur, quin per decen-
nium eoque amplius Vicarii vices laudabi-
liter gesserit; quin quotannis concursui gene-
rali interfuerit; quin quæstionibus dictatis scrip-
to satisfecerit; quin egregia loca, juxta dis-
cussionem compositionum, per continuam
illam annorum seriem retulerit. Nullus ad
Sacerdotium admittitur, quin Seminarium
incolens, & talari ueste indutus, universum
Theologiae cursum absolverit; quin voce &
scripto examina saepius repetita ritè subierit.
Nemo Vicariatum occupat, nisi ab Episcopo
missus: nemo Vicariatum commutat, nisi ab
Episcopo translatus: nemo Pastoralem obti-
net, nisi ab Episcopo nominatus. Indè tam
accurata Canonum observatio; indè tam stricta
vitæ disciplina; indè tam exacta morum com-
positio; indè tam profunda sacræ Scripturæ
& Theologiae notitia. Ibi non videoas Pastores
vigesimum quintum ætatis annum vix ingres-
fos a Collatore Canonico, aut saeculari Patrono
per favorem Pastoratu donatos, per favorem
institutionibus investitos, per favorem le-
vi examine probatos, per favorem in pos-
sessionem immisso, exclusis Clericis meritissi-
mis & probatissimis favore illo damnosò
desitutis. Non videoas cæcos cæcorum duces,
non Canonicos saecularia sapientes, saecula-
ribus intentos, nullum Clericatū insigne, ne
coronam quidem, gloriosum illud stemma
tam rigidè per Canones præscriptum, ges-
tantes. Vix Belgii aut Galliæ orientalis fini-
bus egressus, cernas apud conterminos Leo-
denses, Colonienses, Trevirenses opimis Ca-
nonicatibus dotatos, miserabilem Ecclesiastici
Ordinis dejecti aspectum. Jam autem, omnes
istæ disciplinæ laxationes, istæ omnes rugæ

faciem Ecclesiæ deturpantes, undeniam profluunt? nisi ex eo quod sacrum Concilium Tridentinum per Concordata Germanica expertum fuerit exceptiones plurimas, Ecclesiæ & Religionis utilitati ac incremento non admodum proficuas? O si Principes, Urbes, Capitula Germaniæ suum jus generosè relaxent, saltem quod Præbendarum & Beneficiorum præpostorē distributorum collationes! Si omnes Pastoratus juxta Concilii Tridentini Constitutiones conferantur; si Tridentini Decreta de reformatione instaurentur & strictè observentur, tunc qua per totam Germaniam jacent studia, tunc clericalis disciplina, tunc mores Ecclesiastici, & cum moribus honor huic ordini debitus vigebunt, res florescent, & fructus facient uberrimos. Tunc depelletur ignorantia, eliminabitur novitatum prurigo, cessabunt scandala, tolletur generalis ille & stupendus Capitularium & Canonicorum ob vitam profanè institutam contemptus. Tunc regnabit Religio, & cum Religione virtutes omnes revirescent.

Verum, quidquid sit, (etenim id per transennam dumtaxat dictum velim). Concordata nullo modo adversantur Romani Pontificis Primatui, aut Nuntiaturarum Jurisdictioni; dum è contrà PUNCTUATIONES famosæ (stolidæ sanè nuncupatio) rem Catholica funditus evertent,

Lector. Vana prædicens, Domine Præposite. PUNCTUATIONES istæ Germaniam ab ultramontanorum jugo liberabunt.

Referendarius. Bellè quidem, sed modo præpostero ac inverso. Possum enim hâc super re loqui ex professo. Quippè ex quo hæ comicæ PUNCTUATIONES

TUATIONES per quatuor illos iudicros balneatores fuerunt Metropolitis suggestæ, video rem Christianam penitus labefactatam. Video Acatholicos Professores Catholicas Cathedras occupantes. Video Catholicos ad Protestantium academias missos, ut ibi Theologiam excipient (a). Video Monachos excucullatos, juventutis institutioni præfectos, continua conviciorum jacula vibrantes adversus statum Religiosum; adversus abstinentiam & Jejunium Ecclesiasticum; adversus sancta Cœnobiticæ & Christianæ vitæ exercitia; adversus Cœlibatum Ecclesiasticum Episcopis deinceps eorumque Vicariis subjectum; adversus generales Ecclesiæ leges, observationes, praxes, regulas. Video Professores nova in dies parturientes, è tabernis viniariis ad cathedram, & denuò ab hâc ad illas remeare (b). Video quemdam Trevirensi Archiepiscopo non contradicenti, quia haud dubiè inscio, dedicare hæreticum & impium libellum juxta Serenissimi mentem, ut certè falso scribit, redactum (c). Video alterum Genesim Germanicè depravare, & historias sacras, miracula, prodigia, dæmones, tamquam fabulas, deliria, cerebri figmenta tractare (d). Video Philippum Hedderich Litte-

(a) Alumni Staad, Schwind, & Schmelzer, sumptibus Seminarii Trevirensis fuerunt missi ad Goettinganam Academiam, inde reveruri ut Treviris doceant, primus Historiam Ecclesiasticam, alter Scripturam Sacram, tertius Jus publico-Germanicum. Quis sub Principe Ecclesiastico hanc Missionem cum principiis Orthodoxis Conciliet?

(b) Vide apud Lielendahl.

(c) Wefner. Bertrachtungen, &c.

(d) Thaddæus à S. Adamo Carmelita. Vide ejus theses, è Germanico in Latinum versas, ab anonymo Scholiis eruditissimis illustratas & censoriâ virgulâ notatas.

ras & Bullas fabricare (a). Editiones integras suo veneno inficere (b) omnia attentare, nil intactum relinquere. Video Bonnæ inter alia opera tradi purum materialismum cuiusdam Feder. Video Episcopum suam percurrere Diœcesin non ut ædificet & plantet, sed ut templo spoliet : alium Carthusianorum cœnobium magnificentissimum non fulcire sed destruere, ut hortos suos amplificet : alterum Patres Dominicanos non ad fervorem & perseverantiam exhortari, sed suâ privatâ auctoritate, invitòs & reluctantè sœculo reddere ; moniales non paternè visitare ac piis colloquiis confirmare, sed sub prætextu & falso quidem, ut probavit eventus, è suo Monasterio ejicere ; istum, non Dei cultum ac Sacramentorum frequentationem promovere sed Rituale novum adornare, quo illegitima & conjugum unio & liberorum origo occultetur ; quemdam, ut idioma Ecclesiasticum penitus aboleat, & sacros ritus perdat, Breviarium Germanicè translatum indicere, imò & à Breviarii recitatione dispensare. Video rem Catholicam nihil amplius certi

(a) Vide p. 37 & 122.

(b) Quoad librorum depravationem, jam citatum est Patris Schenli Syntagma, ab Heddericho tam fœdè mutilatum ; addamus conspirationem Mœguntiæ à Cercopum cœtu, cui præfet Junghius, conflatam, ad edenda Theologorum omnium opera pretio omnibus, que hucusque prodierunt, editionibus minore, [Primus erit Clarissimus Ludovicus Thomassinus]. ... Ut CURRIS EPISCOPORUM GERMANIAE ACCOMODA SINT, lucubrantium manus novo studio exaravit, EMENDATIS CORRECTISQUE LOCIS, que corrigenda videbantur. O vos illuminatores & rerum Ecclesiasticarum interpolatores, que vos dementia, que nequitia capit, ut mortuos barbarè dilaniatis, vestratis laqueum injecturi ?

habere pro Sacramentorum administratio-
ne (a). Video incerta, vaga, irrita matri-
monia, ac conjugalem sanctitatem pollutam.
Video omnes Ecclesiæ leges abrogatas (b)....
Video; sed infinitus sim, si referre velim
quod neo-Doctores illi Metropolitas nostros
& Episcopos agant præcipites.

Doctor. Porro tales adversarios habet Ecclesia;

(a) Quæ stupenda in iisdem Diœcesibus variationum introductio! Cum Diœcesanis sibi subditis Métropolitanis in matrimonii gradibus dispensant auctoritate ordinariæ. Cum Diœcesanis Palatino aut Principi alteri subjectis vi facultatum à Janetiſimo Domino Papæ Pio VI, nobis de dato Romæ 7 Aprilis 1783, ad quinquennium proximum concessarum. Cum illis qui sunt Austriacæ dominationis, vigore facultatum à SS. D. Papæ Pio VI, nobis de dato Romæ 20 Junii 1782, ad tempus arbitrio sanctitatis sue concessarum Hæc nempè ultima formula est valida; cæteræ reddit matrimoniū nullum aut faltem omnino dubium: nam prima est caduca propter defectum auctoritatis; item & secunda ob expirationem quinquenaliū facultatum, quarum annus delignandus de industria relinquitur in albo, hoc scilicet modo 178.. Etenim facultates illæ de dato Romæ 7d. Aprilis 1783, expiraverunt 6 Aprilis 1788.

(b) Si Viennenibus paginis, Januarii 1789. fidem habeas „. Comes a Salm Gurcenfis Episcopus 1º. Pastores prædicationibus, catechismis, confessionibus, scholis visitandis aut pueris edocendis distentos à Breviarii recitatione exemit, quasi oratio non esset Apostolici zeli alimentum. 2º. Catholicis apud Acatholicos famulantibus induxit diebus vetitis promiscuum carnium comedionem, haud dubiè ad Acatholicon ædificationem. 3º. Iis, qui ad Ecclesiæ gremium se recipiunt permisit clandestinam in ædibus pastoralibus coram duobus tribusve testibus Fidei professionem, abnegando illud Christi: *Qui me erubuerit... hunc filius hominis erubescet.* Luc. IX, 26. 4º. Abstulit ut suprà dicebam omnem casuum reservationem, idque directè contra usum & Canones Ecclesiæ, brevi ipsam confessionem abrogaturus. Videas quod hæc universa protrahant, nempè ad Religionis excidium, undè jam prodeunt tumultus, flagitia, cædes.

*hujusmodi oratores contra Apostolos pertin-
nent. Hier. Epit. 13, L. 3.*

Sacellanus. Tam inaudita, tamque irreligious facta me prorsus latebant. Imò cum plenis buccis contentisque faucibus tragicè clamabant novatores & nunc etiamnum debachantur in Romanam Sedem, sanè ita eram obcaecatus ut illis planè assentirer. Nunc verò obfuscum mendacissimam obrectatione caliginem veritatis face dissipasti. Profectò, nisi mundi immineat interitus, horrebunt posteri, cum hæc in Ecclesiæ fastis lecturi sunt: nequè tantam stragem Germaniæ intulerunt Wiclefus, Hus & Lutherus, quam tam hi neo-Doctores cum suis nefandis systematibus inferent. Eorum enim hoc præcipuum est studium ut schisma suis facultatibus juvent & scholasticos non tam imbuane litteris quām inficiant hæresi. Oppidò post dilucidam rerum expositionem, cuinam adhuc vel minimum dubium posset superesse de horum systematum iniquitate?

Lector. Mihi quidem plurima supersunt; nam inter paradoxa quæ in medium attulit Dominus Præpositus, restat probandum ex Nun*IV.* tiorum abrogatione labefactandam esse Imperantium potestatem; cum sit luce clarâ clarius majorem indè accessuram illis auctoritatem.

Referendarius. Id saltem primo aspectu ita fore videtur.

Doctor. Oppositum ut probem, primò attendendum est omnia Principum jura in imperandi jure esse fundata. Jam autem jus imperandi intimam relationem habet ad obli-

gationem obtemperandi. Etenim nullum ha-
bent Principes jus imperandi, nisi in solos
illos subditos, quibus obediendi obligatio
incumbit. Ex hoc principio inconcuso se-
quitur, quod Doctrina, quæ obedientiæ de-
bito derogat, Imperantium potestatem coarc-
tet. Sed Doctrina, quæ licebit obedientiæ
derogare, necessariò eruitur ex Emilianis
punctuationibus. Et sic probo. Emisienses,
qui Papæ Jurisdictionem detrectant, Impe-
ratori sese subjicent, ut illos protegere di-
gnetur IN EXERCITIO INDULTI PERPETUI
Punctuatione XV. (a) Nempe absque ullo
Indulto id fecerunt in Galliâ Jansenistæ; id se-
cit in suis Ditionibus quoad Bullam *Unigeni-*
tus, ne quidem rogatus Imperator. Hoc posito
subditi, qui in temporalibus obediunt Principi,
statim sentient ipsius potentiam limitibus à
jure naturæ positis esse circumscriptam,
proindeque illum nullâ in spiritualibus ju-
risdictione potiri, nec posse Ecclesiæ Dis-
ciplinam mutare, novam Liturgiam intro-
ducere, aut etiam pronunciare tûm super
dispensationum validitate, tûm super Sacra-
mentorum administratione, & rerum divi-
narum Ministerio, tûm denique super sanc-
tione Legum Ecclesiæ; consequenter suapte
concludent præfati subditi, Imperantis au-
toritatem super his objectis nullam obliga-
tionem inducere in conscientiâ. Porrò ulte-
riùs progressi indè inferent, (falsa quidem
sed tamen legitimâ consequentiâ) Imper-
tantem non majori pollere auctoritate in

(a) Vide N°. X, Positiones, quæ notas non merentur, sed
flammas. Ibi legas Posit. XXVII, subfigue (potestas Ec-
clesiastica) *civili Imperio*.

politicalis, quam pollet in spiritualibus; obedientiam in illis æquè ac in his debitam esse merè conditionalem; & proindè subditis jus semper relinquæ acta Principis sicut & Præsulum examinandi, discutiendi, reiiciendi. Tunc verò quid non profluet ex talibus principiis? Procul dubio, obligatione obedientiæ cessante, cessabit quoquè jus imperandi. Undè in eo systemate, quo Jurisdictio Ecclesiastica, Apostolorum Principi ejusque successoribus divinitùs concessa, in Imperantem confertur, mox eo ipso Imperans cadit jure imperandi etiam in temporalibus.

Deindè, si Principes jus habeant Pontificum Decreta & Mandata examinandi, judicandi, imò iis derogandi, cum ipsis ita videbitur; quis unquam probatur est obedientiam Imperanti debitam, non esse compatibilem cum eadem facultate, quam assumet sibi subditus quilibet Imperantis iussa examinandi, de eorum æquitate judicandi, insque, cum lubet, (casu injustitiae evidenter semper excepto) non obtemperandi? Ideoque obligatio obedientiæ ante materiam discussam numquam demonstrari poterit cum evidentiâ necessariâ & sufficiente, ad hoc ut subditus convincatur, se in conscientiâ ad obedientiam tenèri. (a)

(a) Consulatur hâc super re & super iis, quæ hue usque disceptata sunt, ærenum opus Gallicè scriptum, & in omnes linguis vertendum, cui titulus est, *Autorité des deux Puissances. 2e. Edition. A Strasbourg, & se vend à Liege. Egregius Author amplissimus D. Pey. Canonicus Parisiensis, pluribus aliis scriptis notus. videtur hocce calamitoso tempore suscitatus ad dilucidanda Ecclesiæ Jura, eaque invictè afferenda.*

(143)

Lector. Nugæ! An Imperans non habet vim coac-
tivam externam , quâ caret Ecclesia?

Doct̄or. Habet utiq̄ue ; sed hæc vis non est jus-
titia , nec majorem extensionem attribuit aut
Juri imperandi aut obligationi obediendi.
Regimen hujusmodi erit arbitrarium ; vis illa
exterio nuncupabitur vis tyrannica , cui
parere nemo in conscientiâ teneatur. Ergo
auctoritas Imperantis pendebit à judicio in-
feriorum , sicut auctoritas Pontificis juxta
Emianos pendet à nutu Ecclesiarum par-
ticularium ; præsertim si Ecclesiarum ista-
rum Præfules , quales sunt Metropolitæ ,
sint sæculari potestate suffulti. Ergo nec Im-
perans jus habebit potestatem exercendi ma-
gis absolutam , nec subditus obligationem
obediendi magis strictam , cum dicat Febro-
nius : » Regibus & Principibus sæculi , Pon-
tificibus & Prælati Ecclesiæ timorem
» honorem , reverentiam deberi scio ; sed
» majorem veritati. Nec illa reverentia est ,
» publicas noxiasque morum labes probrofā
» adulandi objectione ac cæcitate tegere ,
» sed potius Christianâ pietate patefacere ,
» & modeſtiâ redarguere (a). Adeoque
examinare eorum iusta vel rejicere. Plures
quidem sequelas superadderem , quæ ex Em-
iano latrocino , & perditissimorum Doc-
torum scriptis & theſibus suaptè natura
profluunt , niſi forent Principum Juridic-
tionis eversivæ & fidelitati subditorum con-
trariæ. Unum hoc ſufficiat addere. Mens
eft Reipublicæ RELIGIO , & nulla ſatis tutu-
res eft , ubi ſacra periclitantur.

(a) De Statu Eccl. T. I, C. 9, §. II.

Lector. Vestras sequelas nequaquam admitto, & ratio in promptu est; quia formam suam immutabilem accepit à Christo Ecclesiæ regimen. E contrâ forma regnorum mundi ab arbitrio populorum dependet, & consequenter mutari, laxari, adstringi & multis modis à suâ originariâ institutione & primâ sanctiōne pragmaticâ desciscere potest.

Doctor. Hem! Domini mei, audistis execranda principia, civilium motuum & rebellionis incentiva. Hæc mutuasti scilicet, R. P. Lector, à Febronio (a). Hui! quâ fronte rem alleges, undè certo certius exorirentur procellæ & tempestates, quales nunc Galliam vastant, ex adoptatis hisce nefandis principiis.

Referendarius. Hæc equidem universa ex tam horrendo systemate promanare debent. Facessite igitur cum vestro novitatum pruritu, qui horrendorum tumultuum concitatione infamis est. Saltem ita invenite nova, ut vetera non perdatis, neque tantas aut scribendo aut vociferando tragædias excitetis.

Lector. Sed ne consequentiæ tam à longè deducantur, habemus semper præsens remedium nempè Concilium nationale aut Generale.

comes. Heu! quò nos abducis, Pater Lector? Hæc sufficient hodiè. Concilium in diem craftinum transferemus. Valete.

(a) Flor. Sparsi. §. 4. Idem docuit impius Raynald a Josepho II., a Principibus, inò quidem ab ipsissimis Ecclesiasticis honorificentius exceptus. Ejus censore fuerant indecorè habitæ, typographis veneniferis caput attollentibus. Nunc verò, *Hinc illæ Lacryma...* Scilicet, est Deus in Cælis!

COLLOQUIUM

COLLOQUIUM VIGESIMUM.

*COMES, REFERENDARIUS, DOCTOR,
PASTOR, LECTOR, SACELLANUS,*

DOCTOR. R. P. Lector, appellas igitur ad Concilium nationale; sed in hoc tam misero rerum statu quid inde spei Ecclesiæ Germanicæ continget?

Lector. Porro in nationali Concilio primitiva Romani Pontificis & Episcoporum Jura discutentur, & tandem justis finibus circumscriptur.

Doctor. Profectò, in hâc nostrâ Episcoporum paucitate, in hâc tantâ quorumdam Præfulum aulicâ & profanâ vitae normâ, in hâc pestilenti Aulicorum assentatione, in hâc omnimodâ Austriacorum Episcoporum dure subactorum servitute (a), in hâc im-

(a) Hæc memoratu digna refert Baro de Riesbeck, in suo Germanicæ itinerario " Clerus Austriacus gestat in suo sinu serpentem, qui necem ipsi inferet. Serpens ille est ipsamet philosophia, quæ sub Theologie velo, usque ad solium episcopale adreptavit. Plurimi neocœlestiasticæ hujus serpentis veneno sunt jam in Universitatibus infecti. Nōrunt omnes existere quemdam Febronium, & paucissimi sunt qui eum ut hæreticum abdicent. Nihilominus cum aula ipsi evidenter faveat, in ejus errore brevi allicietur. Fateor quidem Belalaministas, qui amplissima Beneficia possident, ceteros numero longè superare, sed si se sentiant objici periculo Beneficia amittendi, aut si viginti quinque mille advocatis, qui jam refertâ argumentorum pharitra sunt instructi, iusta dentur illos bifice telis aggrediendi, procul dubio vix aut ne vix quidem resoluabuntur."

mensâ & quasi regali auctoritate Metropolitarum, qui omnem Diocesos suæ curam in Vicarios generales nequidem Sacerdotio initiatos abdicant, vixque quater in anno insulati procedunt, nihil est omnino spei aut remedii in Concilio nationali, ubi Emisienses præsidèrent & dominarentur, reponendum.

Cæterum esto; nationale Concilium in Germaniâ convocetur; item in Hispaniâ, in Galliâ, & sic quœque in aliis regnis: quid inde? Namque, ut intra Germaniæ fines me contineam, quandonam Episcopi, sub diversis dominationibus positi, unâ convenire poterunt? Nimirum id fiet nequaquam, nisi interveniente variorum Imperantium consensu. Si illi denegent; ergo non habebitur Concilium; ergo evanescet omnis remedii spes. Verumtamen, velim admittatur istud Concilium. Ibidem haud dubiè feretur, ad mentem latrocinii bâlnearii, irreformabile judicium, illudque sacris Ecclesiæ Canonibus & Decretis evidenter alienum. Proinde Germania Pontificis Romani Jurisdictionem excutiet, ut fecit olim Anglia, dum Decreto, quo Annæ Boulenæ matrimonium declarabatur nullum & irritum, se iniquè subtraxit. Tunc Archiepiscopi poterunt impedimenta tollere, à votis absolvere, connubia Sacerdotibus permittere (a), indulgentias, suppressione, quadragesimale Jejunium & abs-

(a) Vide Responsorium 4am. ad Quæstiones Dusseldorpii facetas N°. IX. Item p. 67, resolutionem Vicariatus Moguntini ad Vicariatum Colonensem in causa cuiusdam Sacerdotis nomine Fischer facultatem petentis matrimonium ineundi; quam indulgere posse aiunt, Episcopos juxta punctuationes Emisienses.

tinentiam abolere (a), Missam vernaculo idiomate præscribere, indissoluble matrimonii vinculum frangere, Subdiaconos & Diaconos dispensare ab ordine, Religiosos à votis eximere (b), Canonibus derogare, censuras Romanas spernere, regimen à Summo Pontifice independens constitueret, & sexcenta alia, quæ referre animus horret.

Præterea, coacto nationali Concilio, movebuntur, ut sit in rebus humanis, inter diversas Ecclesiæ, contestationes, sive de locis cujusque Diœcœsos conterminis, sive de causis sub duabus Dominationibus ejusdem Diœcœsos agitatis. Quis tunc illas controversias dirimet? Quænam erit conciliationis spes, si utробique eadem sit per-

(a) Vide sex Assertiones Theologi Paderbonensis de Jejunio, in quibus Moguntini Theologi nefaria impiudentia invictè retunditur.

(b) Nuperim Recollecta turbulenta vitæ, corporis Religiōsissimi ac obseruantissimi putridum infectumque membrum, Dilinge è sacro suggestu annuntiaverat illuminatiōnis Germanicæ epocham reponendam esse in Jesuitarum suppressione, idēque à Regiminiis Asiefloribus & à Superioribus suis fuit acriter reprehensus: verū jugi impatiens & monitoribus asper solum mutavit, & à sacris votis per easiam Vicariatū Augustani potestatem exemptus, tandem Bonam appulit, ibique novorum Professorum numero aggregatus, pro sua inaugurali Oratione, eandem illuminatorum laudem & originem instituit, cum diverso certè exitu: nam quæ Dilinge tantum noctorem ipsi consciverat, Bonam omnium plausu fuit excepta. Nempe sic probatum est Rempublicam Christianam & politicam, Jesuitarum jugo exutam, factam esse salvam ac incolorem, & exinde Fidem, mores, Litteras, juventutis institutionem, probata principia, Religions exercititia vigere, florecere & fructus edere an dulces? an amaros, lector æquus judicet? Ut ut sit, assueverunt jam dudum tristes Jesitarum reliquæ ad hujusmodi latratus obsurdescere. Quos enim gloriosum est pernere, vincere propugiosum.

tinacia? Procul dubio; omnino nulla;
 Emerget igitur ex isto Nationali Concilio
 Ecclesia schismatica in plures Ecclesias à
 se invicem independentes divisa, quales sunt
 Protestantium Ecclesiæ ubique diversæ pro
 regionum & Principum varietate. Sed est
 illud ipsum quod suadent novatores, nempe
 ut interveniat Principum Catholicorum au-
 toritas, adhibito pro eorum direcione Eccle-
 siasticorum maximè Episcoporum Concilio.
 Ita Febronius qui ex Duarenio dicit, Prin-
 cipem leges condere posse, quibus Episcopi
 cæterique Ecclesiæ ministri ad Canonum Ec-
 clesiasticorum veterisque disciplinæ observatio-
 nem in regno ac ditione sua compellantur.
 Et ita omnino corruet unitas, quam Gro-
 tius frustrâ restaurari cupiebat (a).

Lector. Hæc omnia sunt meræ exaggerationes ab
 invidiosis ultramontanis confitæ. Nonne
 alibi, v. g. in Galliâ, sunt sæpius cele-
 brata, nec sine fructu, hujusmodi Concilia?

Dotor. Hui! R. P. Lector! Quænam est natio
 Germanica, si illam ad Gallicam conferas?
 Libenter concedo eandem utrique populo-
 rum multitudinem, eandem amplitudinem,
 potentiam, industriam, denique cætera paria;
 sed quoad Ecclesiam, quæm diversa utrius-
 que facies! Sic canibus catulos similes, sic
 matribus hædos nōram! Nimirūm in Galliâ
 unus est Imperans, quo annuente Concilium
 absque contradictione ullâ convocatur. in
 Germaniâ verò plurimi dantur Imperantes,
 quorum unanimis ad Conciliī coalitionem

(a) Vide suprâ pag. 12. notâ (a).

consensus est necessarius. In Galliâ recententur octodecim Archiepiscopi, cum centum & viginti uno Episcopis, qui quinto quoque anno conveniunt & apud quos in hoc misérabili Religionis occasu etiam vigent Canones. Tota autem Germania (Austriacos si exceperis, qui in hocce easu extranei censendi sunt) complectitur dumtaxat quatuor Archidiœceses cum sexdecim Diœcesibus, imò potius cum decem circiter, eò quod inter illos sint, qui plures simultaneè Episcopatus possident, per summam Romani Pontificis indulgentiam, quæ nunquam, nisi forte ante pacem Westphalicam, eò usque progreedi debuisset, præsertim ob nimiam illam Diœceseon extensionem, & nullam inter Præfules communicationem aut communem operam, five consensum.

comes. Sed quare tām pauci sunt in hāc nostrā Germaniâ Episcopi?

doctoR. Causam adfert Fleurius in suâ historiâ Ecclesiasticâ : cum Christianismus inquit, in Germaniam, circiter sub Carolo Magno fuit introductus, raras hæc Regio urbes recensebat, ideòque pauciores Episcopi fuerunt creati. Nec, ubi, auctâ populorum multitudine, urbes factæ fuerunt frequentiores, auctus est, pro incolarum ratione, Episcoporum numerus. Hinc videoas Diœceses Germaniæ immensas, quas Episcopi nec visitare juxta Canones valent, nec immediate ac ritè gubernare, attento nimirūm quòd sint aliundè temporalium rerum curis ac magnis negotiis districti, quæ vigilantiam & pastorialē sollicitudinem penitus absorbent: ideòque Archipresbyteros, Superiores ordinata,

Archidiaconos, **Vicarios Generales**, **Suffraganeos**, **Coadministratores** denique sibi adsciscunt, qui eorum nomine **Dioecesim** tamquam viduam aut pupillam curent ac dirigant. Egregium sanè nationale **Concilium**, ex paucissimis conflatum Episcopis, in quos dominabuntur quatuor **Metropolitani** vel **Punctuatores**, octo **Suffragii** & amplio **Principatu** præponderantes!

Comes. In tantâ Paſtorum Apostolicorum penuria, novos Episcopatus oporteret creare.

Doctoř. Oppidò, hoc effet è re Christianâ; sed reponet Pater Lector, Concordata huic conſilio refragari.

Referendarius. Imò, deberent favere: nam quid Concordatis obſlet, si providente, v. g. Palatino Electore, Juliaci & Duffeldorpī, item Monachii, Ingolſtadii, Landshuti, Ambergae, & Heidelbergae totidem erigerentur Dioeceses! Quid obſtaret quin Serenissimus ille in suis Ditionibus faciat, quod fecit Josephus II in Hæreditariis Dominiis? Quid cohiberet quominus Ecclesiæ subdividerentur in minores Dioeceses, & quædam Suffraganeæ; v. g. Leodium, Monasterium, Paderbona, &c. fierent Metropolitanæ?

Lector. Quis autem id attinet? contra Metropolitarum potentissimam voluntatem? Etenim, si absque cuiuscumque interventu aut rogatu Nuntiaturas abrogaverint; si omnem ad Romanum Pontificem recursum Episcopis non consultis interdixerint; si pro terciâ & ultimâ instantia Tribunal constituerint, ab eodem judice ad eundem iudicem, excludendo quamlibet aliam appellationem, quemadmodum

(151)

perhibet epistola à Domino Waldenfels ad Dominum Jacquet Officialem Leodiensem scripta (a). Profecto, quandoquidem Pontifex jus non habet in eorum Dioecesim Legatos mittendi , aut ibidem quidquam sibi reservandi , à fortiori nec habebit potestatem Episcopatus in Archiepiscopatus convertendi aut novas Sedes Episcopales creandi , independenter ab illorum consensu (b).

Doctor. Hæc sunt famosa Emiensis latrocinii Decreta : sed si Sanctos Patres reverearis , P. Lector , fidem haud derogabis Sancto Bernardo dicenti , potest (Romanus Pontifex ,) si utile judicaverit , novos ordinare Episcopatus..... Potest eos qui sunt , alias deprimere , alias sublimare.... (c) Potest igitur , intervenientibus scilicet , ut res convenienter & ex æquo fiant , Dominis territorialibus , novas Dioeceses , in Religionis bonum & incrementum , creare , & antiquas in Metropolitanas erigere .

Lector. Porro Pontifex Mono-Episcopus foret.

Doctor. Per placet vobis neoterica vox ista : sed quidquid sit Papa nihil aliud esset omnino , quam quod semper fuit. Possum enim longum dare syllabum Episcopatum Metropolitanis ademptorum & in Metropoles erectorum , v. g. ut intra Germania fines immorer , Ec-

(a) Vide N°. VIII.

(b) Longius progressi sunt quam Pereria , qui in suo tetra featu , de Episcoporum potestate , ad nutum Pombalii edito , omnimodam illis non attribuit potestatem nisi cum impossibile est per Regum interdictionem , ad summum Pontificem recursus.

(c) Vide supra . pag. 19.

(152)

Ecclesia Pragensis, quæ Moguntinæ subjiciebatur, fuit facta Metropolis cum assignato jure Regem coronandi, quod jus Moguntinæ fuit ablatum. Item Ecclesiae Salisburgensis anteà sub Laureacensi, & ultrajectensis sub Colonensi fuerunt in Archiepiscopatus mutatae. Possem quoquè longam seriem texere Archiepiscopatum, qui in Episcopatum sub altero Metropolitanano redacti sunt, v. g. Wormatiensis sub Moguntino, qui anteà Wormatiensi subjiciebatur. Imò facile mihi esset recensere Episcopatus ab omni Metropolitanâ exemptos: sed ne ex Germaniâ excurraram, citabo Ecclesiam Bambergensem, & quidem exemptam, frustrâ reclamante in Francofurtensi Synodo Herbipolensi Episcopo. Quin imò legimus in officio Sancti Wolfgangi, hæc verba notatu digna. Bohemis, quid ampliora apud illos fides incrementa caperet, contempto sua Ecclesie delimento, rejectis aliorum consiliis, proprium dari Episcopum libentissime permisit (a). Jam autem, quid his monumentis oppones, Reverende Pater? Quare illa intacta reliquerunt nec sunt aggressi Emisienses, cum suis Neodoctoribus, qui Metropolitanam potestatem Pontificiaæ æquiparârunt, imò supra Pontificiam extulerunt, affectantes Archiepiscopis auctoritatem plenam & nemini obnoxiam, dum jus mittendi Vicario Christi denegant.

Lector. A primis temporibus extiterunt Metropo-

(a) Vide Brev. Rom. 31 Octob. *Permisi*, scilicet non expectato summi Pontificis iusfu, qui Bohemorum votis potuisse annuere; Sancto, quod absit, nequidquam refragante.

litæ ; ergò Metropolium crestio non pendet
à nutu Pontificis.

Doctor. Agedum , P. Lector : proba si potes in occidentalî Ecclesiâ ante Nicœnum Concilium extitisse Metropolitanas Ecclesias ? imò quoad Germaniam audi quæ Zacharias Papa Sancto Bonifacio scribit anno 751 pridie nonas Novembris , ut patet ex Epistolâ 13â in Conciliis Labbei : » Dum in his piis operibus occupata esset tua fraternitas , nunc usque Cathedralem sedem mininè sibi vindicavit. At verò ubi Deus prædicationem tuam auxit , obtinere voluisti , ut tibi Cathedralem Ecclesiam vel successoribus tuis confirmare debeamus , juxta eorumdem filiorum Francorum petitionem. Et idcirco B. Petri Apostoli auctoritate fancimus , ut super prædicta Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata , habens sub se has quinque civitates , id est , Tungris , Coloniam , Wormatiam , Spiraciam & Trectis , & omnes Germaniæ gentes , quas tua fraternitas per suam prædicationem Christi lumen agnoscere fecit . &c. Quid ad hæc regeres , care Pater ?

Comes. Vix sum apud me. Quid igitur sibi volunt pessimi illi Metropolitarum suasores ? Certè operæ pretium esset , ut Papa Archiepiscopatus in Germaniâ abrogaret.

Lector. Meras ineptias somniare mihi vidēris. Quis unquam tale quid commentatus est ?

Doctor. Bona verba , quæso , Reverende Pater. Nec somniat , nec delirat D. Comes. Canonicista quidam non inferioris nominis propon-

suit non ita pridem plenam Archiepiscoporum in Germaniâ abolitionem. Sic enim ait :
 » Qui hâc prærogativâ illos insignivit Pontificis, potest eâdem illos privare, eoque facilius, quod non nisi post falsas decretales, si Febronio habeatur fides, illud jus Archiepiscopos creandi sibi Papa arrogaverit.
 » Si verò ad hanc operationem Principum ac Dominorum territorialium interventio accedit oportet ; quis dubitet quin ad reprimendum horum Archiepiscoporum, id est, eorum confiliariorum ambitionem ac petulan-
 » tiam, & pro internâ Imperii pace firmandâ, libentissimè fint assensuri ? Tamen, ne remediorum violentorum fiat usus, præstat ut Archiepiscopi intra jurisdictionis suæ fines se contineant, & Disciplinae in Concilio Tridentino stabilitate, ac Pactis, Concordatis, Capitulationibus absque innovatione ullâ inhæreatur. Sed quod ad Concilium Nationale attinet, nihil inde boni expectandum.

Lector. Saltem si timeatur à Concilio Nationali, primum est ad generale Concilium recurrere, ubi decretoria tandem proferatur sententia. Viden', Domine Præposite ? Telum expectabas, fulmen jaculor.

Doctor. Ohe ! Quid ais bonarum partium patronus ? Rides oppido, nec serio agis cum tuo telo aut fulmine.

Lector. Serio sanè ; sed à Concilio Generali refugitis scilicet. Illud Curia Romana declinat quam̄ potest maximè.

Doctor. Declinat, ais ? Quis tibi hoc commentum menti indidit ? Adeò sanè non declinat, ut optet, ut urgeat, ut efflagiter inv-

pensissimè. Hoc unum in votis habet; & utinam assequatur, tamquam præsens & unicum malis serpentibus & certam ruinam præfigientibus remedium! O si Principes acquiescant & faveant Pontificis Romani desiderio! Nempe dando auxilium, nec præpediendo ne Episcopi suæ respectivæ dominationis liberè ad locum indicendum convenient. Verum vos omnes qui eâdem fuligine tincti procaciter ad futurum Concilium provocatis, nihil certè formidatis magis, quam istudmet Concilium. Interim dicitis & spargitis ubique contra Febronii mentem, Ecclesiam dispersam non esse infallibilem.

Lector. Contra Febronii mentem? Aveo id mihi probes scilicet?

Doctor. Equidem probabo ex ipsomet Febronio: sic enim habet. » Si Episcopi ad summi Pontificis sententiam tacitè accedant, atque in eo statu res tranquillè permaneant, ita ut per hoc constans illa & uniformis, seu, ut Lirensis loquitur, manifestè, perseveranter, ubique & ab omnibus tradita & agnita doctrina atque fiducia observantia comprobetur, causa finita est, atque hoc modo plures hæreses circa generale Concilium suppressæ aut sublatæ noscuntur. » (a)

Lector. Nugæ. Dormitavit Febronius cum hæc dixit; quippè novit appellantes à Bullâ Unigenitus & Constitutionibus Apostolicis, haud tenèri iisdem adhærere. Quare igitur post

(a) Febr. de Stat. Eccl. T. I, C. 6, §. 8, N. 6.

millies factas appellations, etiamnūm ter-
giversatur Romana politica? Quare, ne Con-
cilium istud locum habeat, excommunicationem & anathema contorsit in appellan-
tes à Pontificum Bullis ad futurum Conci-
lium, declaravitque hujusmodi appellations
nullas esse & hæreticas? Perperām igitur
objicis ipsosmet appellantes Concilio ge-
nerali ponere obicein.

Doctor. Quasi eorum appellatio non esset mera declinatio Pontificis ac damnationis, & frus-
tratio Judicii Ecclesiastici. Cæterum ista ap-
pellatio est pernicioса regimini Ecclesiæ,
quia auctoritas Pontificis quantumlibet le-
gitimi superioris labefactatur, imperandi vis
inhibetur, inobedientia inulta manet. In-
super est exitialis paci ac unitati, quia fa-
cili datur schismati aditus, difficilis autem
fit medela. Tandem est nocentissima Fidei
& integratit; quia hærefis impunè grassari
potest: cum, appellatione interpositâ, Con-
cilium ad quod provocatur, vel longè post,
vel nunquam sit congregandum, quandoquidem
ab ultimo, scilicet Tridentino, jam
duo sæcula fluxerunt, quin post varias ap-
pellations injectas, Concilii generalis co-
gendi necessitas aut occasio fuerit. Huic tam
optatae occasioni remoram semper injicient
ipsimet appellantes, quia nōrunt scilicet se
certissimè condemnandos. Imò Febronius
ipse, qui illis apertè favet, eorumque erro-
neis principiis iniquè adhæret, id disertis hisce
verbis fatetur. » In solidis his principiis non
» inveniet Jansenista confugium subtilis suæ
» vanitatis; licet enim nondum effet ultimatum
» & in formâ condemnatus, agnoscere ea-

» men debet adesse modò **OMNIA MATERIA**
 » **RIALIA** prævidenda damnationis in fu-
 » turo Concilio generali, & ideo non solum
 » ille peccat in Deum, & Ecclesiam,
 » qui his adhærere pergit, quæ per, judi-
 » cium Patrum ultimatum de facio sunt dam-
 » nata, sed etiam qui præseminat, aut re-
 » bus adeò discussis, pertinaciter sustinere
 » pergit Doctrinas, quas prudenter prævi-
 » det, aut prævidere debet **DAMNATUM**
 » **IRI**, quam primùm congregabuntur **IN**
 » **UNUM PATRES CUM PONTIFICE**. Sa-
 » nè Sanctus Augustinus causam Pelagia-
 » norum finitam esse affirmat, licet non
 » ignoraret decem & octo inter illos per-
 » tinaces in errore suo permansisse, inter-
 » positi ad Concilium generale appellatio-
 » ne. « (a)

comes. Hem! Pater Lector, quanti redemptum
 velles, numquàm pro Concilio indicendo dixis-
 se? Quod supereft, hoc in posterūm cave,
 ut sis & in diligendis argumentis pruden-
 tior, & acutior in tractandis, & in vindicando
 Novatoribus minùs hebes.

Sacellanus. Novatorum Concilia non satis per-
 videbam; imò tantum non incusabam sum-
 mun Pontificem, quem suspicabar à Con-
 cilio generali alienum.

Doctor. Fidem dictis meis habeto, Domine:
 quod hīc assero certum est. Et summus Pon-
 tifex, & Cardinales & quotquot sunt Præ-
 lati orthodoxæ addicti, & tandem ge-
 nuini Catholici omnes, Concilium istud

(a) Ibid. N. 17.

(158)

exoptant tanquam præsentissimum rebus ferè desperatis remedium. Certiores estote itaque, si Principes non obsistant, Concilium istud absque morâ à Vicario Christi indicendum. Tunc tandem actum erit & de perditis Novatoribus & de Emfiano latrocino & de Cæsareis ausis. Tunc salva erit res Catholica.

Respondens. Satis explicare non valeo; Domine Præposite, quæ lux menti meæ afflugeat ex tuis tam claris, tam expeditis resolutionibus. Fugasti oppidò omnes errorum tenebras: dispulisti omnes præjudicatas opiniones: oculorum caligo discussa est, & nunc tandem video. Unum tamen adhuc superest disceptandum. Quippe dixeras & clare exposuisti, principia de Primatu & de Nuntiaturis allata evertere Episcoporum, Capitulorum, Religiosorum, Metropolitarum Jurisdictionem, sacerdotalium subordinationem, Imperantium potestatem, & tandem populorum pacem & felicitatem. De hac populorum pace ac felicitate nihil dum es protinus.

Doctor. Verum id quidem est. Sed quis ex dictis non sentiat, quam fæde illa novitatum intemperantia à minimis initii ad ipsius Rei publicæ labem & exitum gliscat? Quis non prævideat, dissidentibus inter se Principibus Imperii tum sacerdotalibus tum Ecclesiasticis, certam inde orituram populorum perturbationem & perniciem; ut jam videre fuit in simultibus inter Archiepiscopum Colonensem, & Regem Borussorum aut Electorem Palatinum ortis. Quæ tranquillitas esse poterit, dum hinc conjugia decla-

tabuntur valida, illinc irrita (a). Hinc liberi reputabuntur nothi; illinc ex legitimo thoro procreati. Hinc haereditas uni adjudicabitur, illinc alteri. Hinc detrectantes ab Episcopis aut Metropolitæ decretis ad Principem appellabunt, illinc a Principe ad Metropolitam. Inde igitur contentiones, emulations, lites, dissidia, rebelliones, cædes, excidia, & quod omnium caput est, Catholicæ Fidei detrimentum & ruina; quæ eheu! jam penè collapsa jacet in totâ Germaniâ. Ad tot portenta cohorrescit animus.

Referendarius. Sufficit: intelligo satis, & prorsus acquiesco.

Comes. Immortales sint Deo grates, Domine Referendarie, quod nobis consentias. Jam penes te est adversus aulicos schismate imbutos Ecclesiæ jura tueri fortiter, ipsosque ad Matris gremium reducere. Jam Principibus, quorum religio miserè decepta est, veritatis semitam poteris ostendere, & assentatores perniciosos ab eorum Aulâ amandare. Tu vero, R. P. Lector, nonne nobis

(a) Hæc gravia discrimina ut averterent, Princeps ab Hohenlohe Bartenstein cum Comitissâ a Blankenberg in secundo gradu; Princeps a Salm-Salm cum Comitissâ a Starhemberg; Comes de Wilzeck, pro Lombardiâ Ministro Plenipotentiario, in tertio gradu attingente secundum, vanus reputaverunt Cæsaris & Metropolitarum decreta, ac supplices obtinuerunt Pontificiam dispensationem. Occasione Dispensationis in favorem Principis ab Hohenlohe, pessimè inductus fuit Archiepiscopus Coloniensis, ad scribendam Nuntio Apostolico Epistola prorsus illiberalem, de dato 27 Novembris 1786, tunc ad mittenda Marchioni Antici nunc Cardinali iusta seria, quibus ad summum Pontificem querimomias nomine suo deferret non omnino reverentes.

(160)

affentierè tandem, ut idem sapiamus & in
eādem permaneamus regulā (a).

Lector. Non sic abnuo principia ab Ordinis nostri Magistris tradita, & ubique, imò quidem a pluribus Romæ adoptata. Nempè illa tam doctè, tam invincibiliter sustinuit noster eximus Hedderich (b)!

Comes. Sustinuit? Nempè pestiferæ Doctrinæ Magisterium Bonnæ affectando; sed spero de te meliora, bone Pater, antequām se jungamur. Relinques ejusmodi Magistros, & laudib[us] tibi erit Domini Pastoris ac D. Referendarii nec non D. Sacellani exemplum sequi potius. Valete in crastinam diem, quā scilicet ultimò congregiemur Perendiè enim discessum cogito, Franconiam repetiturus.

COLLOQUIUM VIGESIMUM PRIMUM.

DOCTOR, PASTOR, SACELLANUS.

P ASTOR. Ego & Dominus Sacellanus unā remansimus, Domine, ut tecum tantisper conferamus. Ambo Emisiense latrocinium admirimus: ambo Pontificis & Apostolici Nuntii Litteras detrectavimus: ambo Febronio, Eybelio, Heddericho cæterisque ejusdem

(a) Philip. III. 16.

(b) Illi habent undique mercede conductos, aut captatione, seu confociatione & mutuo commercio sibi devincentes præcōnes & laudatores; imo seipso gloriose venditant. Ita jung, qui in suis ephemeralibus sic de se loquitur. Clarissimum jungium nostrum, quocum vos computati, nani, imò embryones in eruditione omnigena, eaque prompta & expedita, eflis.

nominis

hominis hominibus suffragati sumus. Ambo schismatica , quæ hodiè vigent , systemata exitialemque doctrinam amplexi fuimus (a) , propugnavimus , diulgavimus & Pastores circumvicinos aut quotquòt occurrabant , seu Sacerdotes , seu laicos pro virili attraximus in nostram sententiam. Sunt totidem scandala reparanda. Quomodo aut quâ viâ rem tantam aggrediemur ?

Doctor. Nota est omnibus vestra sentiendi ratio. Juvat ut revocatio sit æquè manifesta ac fuit error.

Pastor. Hoc æquum est & justum. En tibi specimen quod primariò perscripsi. An placet mihi legenti præbère aures ?

Doctor. Præbeo libenter.

Pastor. Ego infrà scriptus postquam infeliciter fui abductus in errores hodiè in Germaniā nimis , eheu ! pullulantes , & adhæsi principiis Febronii , Pereria , Eybelii , Hedderichi , aliorumque hujusmodi novatorum , censeo me in conscientiā adigi , ut hæc principia heterodoxa sincerè detestor , & palam sequentia puncta declarerem.

1^o. Profiteor Romani Pontificis Primatum non esse ordinis , inspectionis ac directionis tantum sed veræ auctoritatis & jurisdictionis imò & coactionis per excommunicationem & alias pœnas spirituales.

(a) Ut videatur quoisque se extendant nefanda systemata , consule Responsiones Dusseldorfii datas , in fine N°. IX. & Thetim Mohasterii concinnatam , ad calcem N°. X.

(162)

2°. Pontificem Romanum esse summam
judicem controversialium in rebus fidei & mo-
rum.

3°. Illum esse Caput , cui Episcoporum
corpus adhærere debet.

4°. Eundem pro summâ potestate in
universâ Ecclesiâ sibi traditâ , potuisse pecu-
liari suo iudicio causas criminum graviores
reservare.

5°. Pertinere ad ipsum indulgentias , dis-
pensationes , Episcoporum confirmaciones ,
Consecrationes , translationes ac depositiones ,
item novarum sedium erectiones.

6°. Reprobatas esse ab Apostolicâ sede ad
futurum Concilium appellations.

7°. Peto supplex à Deo veniam de meâ in
Ecclesiam rebellione & de scandalo per perti-
naciam meam dato.

8°. Rogo & adjuro quoscumque , quibus esse
potui seductioni ac offendiculo , ut curent
instrui , & omnimodam obedientiam obseruent ,
conformando se omnibus summorum Pontifi-
cum Constitutionibus , præsertim Bullæ UNI-
GENITÙS & retractando ex animo cætera
principia in Religionis Catholice perniciem ,
à nefariis hominibus adinventa .

Hoccinè sufficit , Domine ?

Doct̄or. Comprehendisti paucis verbis , quæ gene-
ratim dicere juvat. Tuo honori , tuæque sa-
luti benē consultum erit hâc tuâ profes-
sione.

Pastor. Illam itaque imprimi curabimus , deinde
exemplaria quām plurima spargemus quaquā-
versum.

Doct̄or. Verū nonnē præstaret anteā invisere ,
quos persuasione vestrâ induxitis in erro-

tem? Scilicet iis hanc vestram professionem ostenderētis, recensērētis urgentissima conversionis vestræ motiva: ut sic facilis vestris rationibus accedant ac subscrivant.

Sacellanus. Fallor, aut ne vel unus Domino Pastori obtrectabit: tantâ enim valet apud istos gratiâ & auctoritatâ, ut suaptè manibus & pedibus in ejus sententiam sint ituri. Sed est adhuc aliquid notatu dignum; nempè circumferuntur, omniumque manibus teruntur libri schismatici, erroribus disseminandis nimium opportuni. Quid facto opus?

Doctor. Brevi è fidelium manibus retrahentur, si suppetant boni malis substituendi.

Sacellanus. Id quidem verum est; sed nostræ facultates haud sufficiunt. Libri depravati nobis suppeditabantur gratis & affatim. Habent enim isti tenebriones collectitias pecuniarum summas, ut sectatores sibi adsciscant (a). His verò facultatibus carent Catholici.

Doctor. Carent equidem, adeò Religionis amor est frigidus, & languens! dum erroris & mendacii propagatores ita sunt alacres & servidi, ut nulli parçant impensæ, nullumque remittant labore. Tamen aliquid nunc excogito: nimirū rogabo Dominos Comitem, Commendatorem, & Referendarium, aliosque mihi notos, ut aliquid pecuniae in hoc bonum opus conferant; nec

(a) Sic famosus Nicole anno 1691 libras 40,000 legaverat in hujusmodi expensa; haec summa, quam vocant Galli boite à Perette, nunc ferè excrevit ad undecies centena millia librarum, constituitque censum annuum quadraginta quatuor milie librarum.

dubito quin vobis egregium subsidium impertituri fint. Valete.

**COLLOQUIUM VIGESIMUM
SECUNDUM.**

*COMES, REFERENDARIUS, DOCTOR,
PASTOR, SACELLANUS.*

COMES. Salvêre vos plurimùm jubeo, amissimi. Tandem hodiè ultimò convenistis. Itaque finite ut mutuo complexu inter nos jungamur, & congratulemur simul de tam fausto colloquiorum nostrorum successu. At quid hoc est? Desideratur scilicet Pater Lector: ubinam moras trahit?

Pastor. Abiit, excessit, evasit, erupit. Heri vesperi, cum ultimos conatus adhiberem, ut eum denique commovarem, & in nostras partes attraherem, subitâ & vehementi irâ inflammatus, in me acriter insurrexit, desertorem, transfugam, proditorem perfidum me compellans; insuper alias atque alias injurias ac convicia, qualia evomeret conductus de foro verna, vel validus scurra, adversum me effutivit vesanus ille, vociferando & agitando se immaniter.

comes. Hæ sunt hominum istorum elegantiae has idiomatum lautias neverunt; nempe putant iis horridi & inculti sermonis phrasibus asperitatem suavissime condierunt.

Pastor. Ego verò has illis munditias relinquō. Neque velim, ut lepidè dixit D. Kübel Heidelber-

(165)

genfis Professor egregius, perspiciant censores
me & in arte conviciandi, si eam per duos
annos exercevero, profectum non pœnitendum
acere posse (a).

Sacellanus. Sed cum hic stare pergeret intra illud,
quod ipsi vernaculum est, maledicendi genus,
quid tandem reposuisti?

Pastor. Ne verbum quidem protuli: nolebam
enim cum ipso infanire. Itaque post exhaus-
tas fæces illas fordidæ & illiberalis maledi-
centiæ, dorsum protinus invertens, facto
impetu ex ædibus prorupit furibundo similis.
Eum sequebar aspectu; sed cum jam obducta
nox esset; non potui discernere dextrorsum
an sinistrorum iter flexerit. Demum rescivi
hodiè illum apud subulcum, qui ipsi paleam
pro culcitâ stravit, noctem egisse, & summo
mane abivisse insalutato hospite.

Doctor. Id satis subolebat mihi. Animadverti
enim illum sub nostris colloquiis nisquam
dedisse tantillum resipiscientiæ indicium.
Multa absque ullo delectu oggerebat adeò
non cohærentia, ut potius inter se pugna-
rent. Responsoribus nihil boni regerebat,
&, ut aiunt, ferebatur semper extra oleas.

Sacellanus. *Iustum Judicium tuum, Domine!*
Sol illuxit illi, & palpebras occlusit, ne
lumen videret.

Referendarius. Scio ego quām fint indurati hu-
jusmodi homines. Modò suam erga Roma-
nam Ecclesiam rabiem exhalent, & conti-
nuò in illam classificum canant, nihil curant

(a) Decif. quest. inaug. 1787, p. 59.

præterea. Deistis, Atheistis, mōrum contemptoribus connivent, indulgent, imō fāvent, & patrocinantur, solis Catholicis infensi.

comes. Sed quid viā hāc proficiunt?

Doctor. Eheu! nimis omnino, tum in labefactandis omnibus benē ordinatæ reipublicæ principiis, tum in eliminandâ è nostris Provinciis avitâ fide. In eorum molitionibus & machinis perspicias ultimum infernalis potestatis omnes vires suas exerentis impetum. Quod in Galliâ multò callidius ac quasi per cuniculos machinati sunt Jansenistæ, suppetias ferente Parlamento; quod in Bataviâ conati sunt Ultrajectenses improbi in Romanam sedem rebellantes; quod in Italiâ, & in urbe ipsâ subdolè moliuntur Novatores illi usque ad Pontificale solium clanculum adrepentes, nunc in Germaniâ apertâ vi, & adunatis, ex omnibus Europæ oris, viribus rem Catholicam aggrediuntur, de ipsius ruinâ haud deinceps dubii: sed qui habitat in cælis irridebit eos; & Dominus subannabit eos.

Interim ex istorum Neodoctorum principiis sensim mutantur Provinciarum facies, Leges, Constitutiones. Horum enim præcipuum est studium ut hæresim suis facultatibus juvent, & scholasticos, qui errorem disserinent, non tam imbuant litteris quām insificant hæresi. Hinc prodeunt sophistarum impia lucubrations. Hinc prævalent civium depravati mores. Hinc virtus, libidines, facinora non prius audita pullulant, propagantur, sylvestunt, & virtutum germen suffocant & enecant. Hinc videre erit id

quod olim apud Romanos canebat Horatius : *Ætas parentum pejor avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorrem.* Hinc denique retractabuntur cædes, seditiones, regnorum excidia. *Quoties enim mota est sacra Religionis anchora, toties fluctuavit Reipublicæ navis :* unde Argentiniensis Consistorii Assessores non ineptè Vicariatui Spirensi his verbis scripsierunt. *Ingenuè nobis fatendum est nos in illis (punctis Emisiensibus) paucis tantum passibus exceptis, tam nova, tam paradoxa, tamque dura invenisse, ut si admitterentur, non solum omnia sus deque in Hierarchiâ verterentur, sed etiam ingratissimæ sequelæ exitusque pro Republicâ Christianâ infelicissimi pertimescendi sint (a).*

Referendarius. Profectò istæ sequelæ jam nostræ huic Germaniæ impendent ex merâ non Archiepiscoporum, sed potius malesuadorum, qui eorum nomen usurpant, ambitione. Nec sum ego Propheta aut Prophetæ filius; verum quod sæculorum fasti nobis tradiderunt memorie, quod eheu ! jam videmus in Galliâ, subito recrudescet in hâc nostrâ patriâ, & mox quemadmodùm illic nunc, & hîc olim erumpent direptiones, incendia, devastations rebelliones ac rivi sanguinis irrigui. Illa universa contingunt in Galliâ, eo quod penè omnes à veris Fidei principiis sensim desciverint, nec amplius sanam doctrinam sustineant, sed coacervent sibi Magistros prurientes auribus, qui à veritate ad fabulas & hæresim, imò ad impietatem & deis-

(a) 18 Januarii 1787.

mum conversi sunt. Profectò si severè ac opportunè in Novatores & Philosophistas fuisset animadversum ; si sacrilegæ Parlamentorum in Christi corpus ferocientium molitiones ; si eorumdem in Religiosos juvenitatis institutioni addictos insanæ ac crudeles persecutio[n]es fuissent fortiter repressæ ; si castigatis acriter moribus Religionis Christianæ præcepta fuissent strictè observata , videremus hodiè Galliam pace , prosperitate , gloriâ , divitiis & auro circumfluentem . Cum autem , universa quæ nunc patitur mala , ex eodem venenato fonte , qui nunc Germaniam inficit , promanent , nonnè pronum est conjicere eandem huic imminēre perniciem & ruinam ? Vos , ô ! Metropolitani , si mens non sit læva , prudenter cavebitis , amandando scilicet istos Canonistas qui jus depravant , istos Historicos qui facta configunt , istos Theologos qui omnia principia evertunt , denique Emfisen , Febronianorum , Bonnensum , Trewirensium , Moguntinorum , Salisburgensium graveolens hædile delendo funditus .

Pastor. Non equidem dissimulabo . Conspicio à quindecim circiter annis immutatam omnino parochiæ meæ faciem . Apud seniores conservatur etiamnū aliqua priscæ Fidei ac morum imago ; sed apud reliquos non item . Videas parvulos protertos , juvenes effrænes & dissolutos , puellas effrontes , meretricio more agentes , nec quin sint corruptæ , nubentes . Nullus amplius pudor , nulla probitas aut fides . Religionis exercitia & præcepta sunt obsoleta ; pudet illa observare . Ignorantia fit in dies crassior . Egomet infanis

(169)

principis imbutus , multò sentiebam me
tepidiorem minùsque sollicitum ; nec subo-
dorabar unde tanta mala profluerent . Nunc
autem ad me reversus sentio illa certissimè
adscribenda esse perveris Novatorum sys-
tematis & conatibus . O si reprimatur tam
insolens ingeniorum lacivia !

comes. Saltem expedit ut Dominus Referendarius
nostra hæc Colloquia altè animo insculpat ,
quò Metropolitas , qui tam subdolè ab au-
lisis circumveniuntur , possit absterrere à
suā adversus Nuntiaturas aggressione . Facile
eis ostendet Nuntios Apostolicos , semper &
ubique fuisse pacificatores regnorum , popu-
lorum sequestratos , libertatis & æquitatis
assertores ; illos Reges exarmasse ; sanguineos
rivos obstruxisse ; rixas privatas sopivisse ;
bella civilia cohibusse ; infidelium stragi
christianas confæderationes opposuisse , &
sexcenta alia aut mala avertisse , aut bona
fuisse operatos . Dein demonstrabit frustra
invocari Germaniæ Concordata , quæ summus
Pontifex religiosè semper & inviolatè servari
voluit ; dum è contrà versuti seductores
illamet Concordata concutiunt ac diruunt .
Demum Metropolitas , qui nil , nisi quod fas
& æquum est , cupiunt , exorabit ut tandem
suæ famæ , suæque laudis & salutis me-
mores , abstineant à consiliis per pessimam sug-
gestionem & vecordiam initis , & si suæ auto-
ritati detrimentum inferre nolint , propulsent
à disciplinis quibuscumque omnem novandi
libidinem seu libertatem , ac recordentur cum
magno Augustino , ipsam mutationem con-
suetudinis , etiam quæ adjuvat utilitate , no-
vitate perturbare ; ideoque arctissimo Reli-

gionis, submissionis ac charitatis vineculo, Christi Vicario magis in dies adstringantur, undē eorum & in civilibus potestas, & in sacris inaestas, & in clero dignitas, & apud gregem auctoritas, & apud Imperantes amplitudo firmiori & inconcuso fulcro stabilentur.

Si verò, Domine, tui Serenissimi sit tibi ad Principes Protestantes aditus, testificare illis infinitam populi Christiani gratitudinem. Addas Sedis Apostolicae spem in eorum generofā moderatio, & æquitate & justitiā esse positam. Gratulare quod suā æquabili agendi ratione, in repellendo Metropolitarum consilio, sempiternum sibi deus, immortalemque gloriam comparent: Démum feres illis omnium bonorum preces & vota, ut omnia semper sint illis felicia & prospera. Quod ad nos attinet, Deum Optimum, Maximum orabimus supplices, ne iidem hāc inconditā & præpostera Metroplitarum agendi prurigine abducantur à peroptato ad Ecclesiæ Catholicae centrum reditu.

Cum autem brevi ad Imperii Comitia sis mittendus, in Electorum, Principum & Urbium Collegia introductus, Deputatos alloquēris confidenter & dices, te non Ecclesiæ Catholicae tantum, sed Principum æquè ac populorum imò Metropolitarum ipsorum nec non totius Germaniæ causam tueri justissimam, Concordatis, imperii decretis, capitulacionibus, usibus confirmatam, nec posse Nuntiaturas abrogari, quin immerita summo Pontifici injuria, Reipublicæ Christianæ labes, Principibus & urbibus detrimentum, & Metropolitis quidem turpissimum dedecus

inferantur, Probationes & argumenta def-
sumes ex hisce colloquiis. Si verò de recep-
tibus Imperii incidat mentio, probabis ex
Epistolâ à Pio VI ad Frisingensem missâ,
querelas nunquam motas contra subsistentiam
& Jurisdictionem Nuntiaturarum, sed contra
prætentos abusus Nuntiis falso imputatos,
quibus aperte contradixerunt Episcopi (non
ut hodie dū alieni, sed tunc) ad repu-
gnandum zelo inducti (a). Addes capitula-
tiones Casareas usque ad postremam evidenter
convincere Nuntios in Germania debere &
posse liberè exercere Jurisdictionem S. Sedis
nomine. Tandem concludes fieri non posse ut
jura, Concordata, consuetudines ac pos-
sessiones per suminum nefas violentur, &
tām enorme facinus ab æquis, perspicaci-
bus, clarissimis, illustrissimis præcellentibus-
que Deputatis unquam perpetetur.

Referendarius. Unum hoc adhuc habeo, quod
mihi exciderat memoriam. Plurimi cum Me-
tropolitanis & Emisiensibus conqueruntur,
quod nimirum pecuniæ Romam transmitti
oporteat pro Annatis, Bullis, dispensatio-
nibus, appellationibus, &c. Quid his re-
pondendum?

Doctor. Ne pigeat, Domine Referendarie, adire
Fleuryum (b) & Thomassinum (c); ipsi
amplam tibi subministrabunt respondendi ma-
teriam. Audi insuper ipsum Febronium de
Annatis in suâ Retractione sic differentem.
» Annatæ ad subleyandas necessitates Ro-

(a) Ita SSmus Episcopo Frisingensi. 18 Oct. 1786.

(b) Fleury. Lib. 106. §. 138.

(c) Thomassin. part. 3. l. 2. c. 28.

» manæ Curiæ, pro omnibus Ecclesiis ex-
 » cubantis, laborantis & sumptus portantis,
 » pro legitimis habendæ, atque ut tales,
 » eò saltē usque retinendæ sunt, donec
 » aliâ æquè commodâ ratione, Apostolicæ
 » Sedis judicio, sustentationi, atque in-
 » numeris oneribus ejusdem curiæ provisum
 » fuerit. «

Comes. Mala certè providendi ratio à Metropo-
 litis excogitata, non ad sustentandam sed
 ad evertendam Apostolicam Sedem, &
 schisma consummandum!

Dotor. Est ille unicus Neodoctorum scopus: sed ut
 ad rem redeamus, excipe insuper quæ Ba-
 fileensis Concilii Præses, Cardinalis Julianus
 dicebat. *Fateor oportere sedem Apostolicam
 divitiis & potentia instructam esse..... Nec
 unquam auditum quod Synodus nolit Sedi
 Apostolicæ dignam & competentem facere
 provisionem. Imd hoc per suos Oratores jam
 pridem pollicita est. Si verò à ratione &
 ab exemplo dissenserimus, quid sunt Anna-
 tæ, Bullæ, Dispensationes, Appellations &
 Causæ in Curiâ Romanâ discussæ, si pec-
 cuniæ suminam, quæ indè conficitur, cum
 immensâ illâ pecuniarum vi conferas, quam
 quotannis Vetslariam, Ratisbonam & præ-
 fertim Vindebonam undequaque congeritur?
 Si Bullarum & expeditionum expensa sum-
 mis Investiturarum Juribus æquiparare vo-
 lueris? Quotiescumque Regimen seu Res-
 publica apud exteris pro rebus levioris mo-
 menti innumeram pecuniam profudit, tunc
 nec de prodigentiâ, nec de exhaustis ærarii
 aut civium opibus conquestum est. Hodiè
 verò si vel de minimâ ad curiam Romanam*

transmittendâ pecuniâ mentio fiat, mox in-
 clamant Rempublicam & incolas spoliari.
 Ita Græci olim querebantur: nunc verò
 quām dure à tribus abhinc sæculis argento
 à Turcis emunguntur! An minus pecuniæ
 penditur à Danis, Suevis, Anglis, Saxo-
 nibus, exquid nihil indè Romam trans-
 mittitur? An post tot reformationes in rebus
 Ecclesiasticis à Cæsare factas & interdictum
 Romam recursum, subditi Austriaci com-
 modius vitam agunt? Econtrà res undique
 fiunt angustiores. Imò jam Annata ad Im-
 periale Cameram, ut proponunt, devol-
 ventur, & Præbenda cujusque Collegiatæ
 eidem assignabitur. Quoad Dispensationes,
 & Appellationes cauñarum, an putatis minus
 pecuniæ Metropolitanis Curiis, quām Ro-
 manæ solvendum? nequaquam. Quippè,
 quò liberior erit recursus, eò frequentiores
 erunt causæ, eoque major accedit pecuniæ
 summa. Exemplum hoc esto. Ab ordinario
 Aichstadiensi petiverat Martinus Ferber Du-
 catūs Neoburgensis dispensationem in tertio
 gradu secundum attingente. Ipsi fuit respon-
 sum ut summam centum viginti florenorum
 in *anteceßum* deponeret, tuncque Romæ
 hanc dispensationem sollicitandam. Manhe-
 miense Tribunal vetuit, ne hanc pecuniā
 Martinus numeraret, iussitque, spretis ordi-
 narii mandatis, ut ad Nuntium Apostolicum
 recurreret, cui pro dispensatione obtentâ
 taxam ordinariam septem florenorum cum
 medio pependit. Addam aliud exemplum
 non ita publicum, sed æquè recens & cer-
 tum. Novi quamdam in Germaniâ Dice-
 cesim, ubi pro dispensatione cum nobili in
 quarto gradu tertium attingente imposita

est taxa trecentorum florenorum Germaniae,
sed facta spontaneè nec petitâ quinquaginta
florenorum remissione , solvendi & reverâ
soluti fuerunt ducenti quinquaginta floreni.
Nunc autem dijûdicate , quæso , utrum
tantam summam exegissent Romani , quibus
inéumbit tot tantarumque rerum sollicitudo ?

Referendarius. Quod hunc articulatum non præter-
misericordia , vehementer laetor : est enim unde
lingua obtrectatoribus occludatur. Profectò ,
ea universa quæ nobis tam clare elucidasti ,
Domine Præposite , altè inhærebunt memo-
riæ , & quisque nostrum pro suo modulo ,
ac in suâ , ut vulgo aiunt , sphæra oppor-
tunè exprimet. Ego vero nil intentatuni re-
linquam , ut illa Principibus , datâ occa-
sione , instillem. Oppidò nec in Aulâ nostrâ
nec ullibi spectator vel auditor ero otiosus.

Doctor. Maximè infistendum est mediis , quibus
Romanae Sedis osores usi sunt , ut suas op-
iniones latè propagarent : namque stipendiolas
habent Universitates , litterarios conventus
& officinas , theses , ephemerides & nuncios
Ecclesiasticos , ad disseminandum errorem de
industriâ concinnatos , Bullas in ipsiusmet
Sedis Apostolicæ perniciem fabricatas , &
quasi certa forent antiquitatis monumenta ,
citatas : dein alia plurima adhibent stratage-
mata , quibus injurias , convicia , satyras in
Caput Ecclesiæ vibrant , & suam independen-
tiam attollant.

Insuper ad quædam singularia capita re-
ducenda sunt hodiernæ Metropolitarum seu
potius eorum à quibus falluntur , molitiones.
Quid namque intendunt ? nisi , 1º. Prehen-
darum Collationes , Canonicorum destitu-

(175)

tiones, Capitulorum eversionem : 2^o. Legum Ecclesiæ universalis transgressionem. 3^o. Tridentini Concilii abrogationem. 4^o. Statū Regularis suppressionem, & bonorum monasticorum deprædationem. 5^o. Primatū dejectionem. 6^o. Schismatis consummationem ; Principum & populorum depressionem denique. Horum omnium argumenta depromes de ipsomet Emſiensi latrocinio, de illuminatorum Moguntinorum libellis & de theſibus obviis.

Referendarius. Horum ſæpius refriſcabo memoriā.

Sacellanus. Imò noſtrorum colloquiorum exemplar tibi donabo, Domine : retuli enim illa ſingulis diebus in commentarios, ne exciderent memoriā.

Doctoř. Nil melius excogitari poterat.

Comes. Quidquid fit, Domine DOCTOR, nam antea dumtaxat PRÆPOSITUM nuncupabamus, nunc verò licet apud hosce benevolos auditores sub tuo DOCTORIS INGOLSTADIENSIS nomine te interpellare ; utū fit, inquam, lætabundi de tanto tamque inſperato Colloquiorum tuorum ſuccetu, patriam ovantes repetemus.

Doctoř. Deo referenda ſunt grates.

Paſtor. Et tibi, Domine DOCTOR : ſuſpicabar enim te quidquam eſſe huiuſmodi, cum tam promptè, tam dilucidè objectiones & dubia reſolvebas. Maximam à nobis inibis gratiam, ſi anno proximo nos reuiſere non graveris, ut ita benè incepturn opus con-

solides & sis oculatus testis conversionum
quibus, Deo opitulante, in hoc Rheni
tractu, allaborabimus. Expectando felicem
hunc diem, illud Virgilii tibi reversuro vin-
dica. Post aliquot, mea regna videns, mi-
rabor aristas.

Sacellanus. Profectò nunquam oblivioni dabuntur
ea, quæ tam assidue, tam patienter, tam
luculenter nobis inculasti. Jam sentio me
militem satis cataphractum, ut sophistarum
Bonnenfum tela refellere valeam.

Comes. Faxit Deus ut omnia succedant prosperè,
& Eminentissimi ac Serenissimi quatuor Ar-
chiepiscopi, innumerās ac pessimas imposto-
rum fallacias retegant, eosque à suo conspectu,
ut merentur, procul abigant!

Dōctor. Juvat ipsis revocare in memoriam, quod
Catholicis Batavis scribebat Clemens XI. 7.
Aprilis 1703. » *A fructibus eorum cognoscetis*
» *eos.* Quis enim, ut cætera taceamus, tot ab iis
» hâc causâ ditos libellos videat jurgiis, malè-
» dictis, mendaciis, calumniis, apertâque
» in Apostolicam Sedem irreverentia ac teme-
» ritate undequaque scatentes, quas magnô
» ipsis heterodoxis scandalô fuisse compri-
» mis, quin statim agnoscat, quâm longè
» illorum auctores defensoresque à spiritu
» Dei sint, qui non est Deus dissentionis,
» sed pacis? quâm longè à sincerâ Christi
» charitate, quâm adeo verbis prædicant, fac-
» tis des truunt? quâm longè demum à verâ
» humilitatis & obedientiæ, quæ cæterarum
» virtutum fundamenta sunt, tramite, dum
» adversus ipsam Beati Petri Sedem, Christia-
» norum omnium Matrem & Magistram,
» caput attollere ejusque mandatis obviam

(177)

» ire ; quinimò & potestatem convellere ac
» palam impetere non erubescunt.

Comes. Deficeret nos dies. Tandem colloquiis
imponendus est modus. Multa restant in dis-
cessum componenda, & vix tempus sufficit.
Valete igitur, Domini amantissimi ; iterum
valete , si Deus vitæ usuram dederit , in
annum proximum.

Omnes. Vale quoquè , Illustrissime Comes ; etiā
valeto , Domine DOCTOR : faustum vobis
iter appreciamur , faustioremque , si Deus an-
nuerit , ad nos redditum .

17. 12. 17

*Sed ultra non proficiunt : insipientia enim
eorum manifesta erit omnibus.*

II. Tim. III. 10.

FINIS.

M

DOCUMENTA

In rei probationem allata.

Nº. I. Pag. 65 & 97.

SUMMI Pontificis ad Archiepiscopum Colonensem litteræ.

Venerabili Fratri Maximiliano, Archiepiscopo Colonensi, & Episcopo Monasterensi, S. R. I. Principi & Electori.

PIUS P. VI.

VEN. Frater, salutem. Retulit nobis Dilectus Filius Marchio Antici, tuorum negotiorum apud nos Administrator, querelas tuas de Ven. Fratre Bartholomæo, Archiepiscopo Damiatensi, Apostolico ad tractum Rheni Nuntio, propterea quod Declarationem Encyclicam emiserit prid. kal. Decembris, typis editam (cum grave nimis fuisset eandem tot exemplis prescribere), in quâ agitur de Dispensationibus ab Impedimentis matrimonii. Eas querelas non tam in illum, quam in nos ipsos cadere perspicue agnoscamus; cum à nobis, ut illam Declarationem emitteret, habuerit in mandatis. Maximum indè animo mcerorem cepimus, cum te, Ven. Frater, in tales contra nos querelas prorumpere videremus. Facile tu ipse ex ejusdem Declarationis lectione intelligere potuisti, quæ

nos causæ ad id suscipiendum consilium impulerint; quāmque omnino necesse nobis fuerit pro nostrā Ecclesiarum omnium sollicitudine, iis ad quos pertinet, constare facere, irritas esse matrimoniales Dispensations, quas ad Nos pervenerat in quibusdam Dioecesisbus à nonnullis Archiepiscopis concedi, in gradibus nequaquam expressis aut comprehensis in facultatibus à S. Sede Apostolicā impetratis. Cum de maximi momenti re, de validitate scilicet Sacramenti Matrimonii ageretur, in quo illicitum est quidquam incerti adhibere, medio certo prætermisso quod adhiberi potest, nūm dissimulare potuimus, quin eos omnes quos oporteret, instructos monitosque redderemus de præscriptis per Nos facultatum dispensandi limitibus? Quos ultrā si Dispensatio fieret, suffragatura esset nemini, nequè validum futurum matrimonium, nequè legitima soboles ex illo oritura. Sed ut clarius agnoscas per Nuntium Apostolicum & Declarationem à nobis sibi mandatam, nihil injuriæ Episcopali tuæ Jurisdictioni irrogatum esse, repetemus hīc tibi, aliaque adjungemus rationum momenta, quibus benevolē paternèque exposueramus Venerabili Fratri Archiepiscopo Trevirensi, cùm sub finem anni 1782 à nobis petiisset facultatem dispensandi ab omnibus impedimentis matrimonialibus pro subditis Austriacis in ejus Dioecesi existentibus, Nosque ipsi prescribentes probassemus ex allatā tunc ab illo causā satisfieri ejus postulatis non posse.

Præmittimus sanctionem Concilii Tridentini (Sess. 24, de Matrim. Can. 4º): „Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constitutere Impedimenta Matrimonium dirimentia vel in eis constitutis errasse anathema sit”, Ex dogmaticā hujusmodi lege, antiquissimis innixa documentis,

apertè intelligitur ad solum Romanum Pontificem, tamquam Ecclesiæ Caput, spectare dispensationem à constitutis ab ipsa Ecclesiâ impedimentis, ut revera S. Gregorius Magnus dispensaverat in aliquibus gradibus Anglorum Gentem tunc ad fidem conversam; quod patet ex ejus Epistolâ ad Felicem Messanensem, in *Regist. lib. 12. epist. 31*; & Innocentius III relaxaverat Othoni IV impedimentum in quarto consanguinitatis gradu, sub eâ lege, ut duo amplissima Monasteria Otho fundaret, omneque per imperium largis eleemosynis & ferventibus orationibus istud Ecclesiæ disciplinæ vulnus compensaret. In eo sex saeculorum ab uno ad alterum Pontificem elapsorum intervallo, nullus reperitur Episcopus qui ausus fuerit aliquam in gradibus matrimonialibus Dispensationem concedere. Ipsum porro Concilium Colonense, habitum anno 1536, decrevit Canone 46, quod ad gradus coniunctionis, ac affinitatis attinet, qui matrimonium contrahendum ac contractum dirimunt, Decretum Concilii generalis observabitur, excepto casu ubi Romanus Pontifex dispensatorio Diplomate Matrimonium secus contractum approbandum jussit.

Et sanè, evidentissime istud evincitur ex disputatione habitâ inter Patres Tridentinos, nimirum utrum conveniens esset, ut potestas dispensandi saltem in quarto gradu Episcopis concederetur. Quā in disputatione vicit sententia Marci Antonii Bobba Episcopi Augustæ-Prætoriae, Legati Ducis Sabaudiæ, nimirum similem potestatem non esse Episcopis concedendam, ut relatum in *Actis Paleotti* testatur Pallavicinus in *Hist. Concil. Trid. edit. Rom. 1664, tom. 3, lib. 23, cap. 9, n. 17, pag. 767.*

Post Concilium Tridentinum, legimus in

pluribus Conciliis provincialibus, & præcipue in
 Concilio Turonensi, anni 1583, tit. 9, *de Matrim.* 6. „ In quarto consanguinitatis &
 » affinitatis necnon cognitionis spiritualis prohibi-
 » bitis gradibus suprà expressis, Episcopis dispensare non licere declaramus „. Et in Concilio
 Tolosano anni 1590, cap. 8, *de Matrim.* n. 3 :
 » Quos cognitionis gradus impedit, licet jam
 » legibus solutos, & dispensatos, nisi prius visa
 » summi Pontificis Dispensatione, in matrimonii
 » coniunctionem parochi non recipiant „. Itemque
 in Concil. Diamperitano, anni 1599, tit. sacram.
de Matrim. decret. 189, ubi statuitur : Quiā tamen
 potest aliquandò contingere, ut justis de causis
 » velint contrahentes conjugium inire intra gradus
 » jure tantum positivo prohibitos, matrimonium
 » impedientes, si id contingat, petere debent legis
 » ecclesiastice relaxationem, vel à Sede Apostolicâ,
 » vel à præfule, qui à S. Sede ad id delegatam fa-
 » cultatem habuerit „ (ut legitur apud Mansium in
 Supplement. ad Collect. Labbe, edit. Lucens.
 1752, tom. 6, col. 141). Consonant Ritualia
 Ecclesiarum, & Canonistarum, Theologorumque
 Catholicè sentientium conclusiones. Ac sanè
 cùm Principes & Electores Germaniæ ad Pium
 IV detulerint varia gravamina, inter quæ numera-
 bantur dispensationes S. Sedi reservatae, idem
 » summus Pontifex respondit illos injustissima
 » petere, nam ubi Archiepiscopi aut Episcopi
 » potestatem habeant dispensandi in his, quæ
 » in hujus S. Sedis auctoritate constituta sunt,
 » hoc est inferiores & subditi in lege superiorum
 » suorum, nisi ubi eis hoc expressè permitti-
 » tur, omni juri, omnique rationi contrarium
 » esse, indubitatum est „ (ut legitur apud Rai-
 naldum, *Continuat. Annal. Baronii*, edit.
 Lucens. anni 1756, tom. 15, ad ann. 1563).

n. 44, pag. 371 & art. 11). Ac profectò si
jus esset Episcopis relaxare legem impedimentorum
matrimonialium ab Ecclesiæ potestate constitu-
tam, & ubique in catholicis ditionibus receptam,
tota everteretur ecclesiæ disciplina, Caput sub-
jiceretur membris, ac poindè actum esset de
Ecclesiasticâ hierarchiâ divinitùs institutâ, ut
generaliter declaravit Nicolaus I, in Epist. ad
Michaelem Imperatorem. Fidei enim dogma est,
Episcoporum auctoritatem & jurisdictionem sub-
iectam esse summi Pontificis auctoritati, ità ut
subesse debeant Sedis Apostolicæ statutis, ut
patet de jurisdictionis primatu, singulari Christi
munere, Petro ejusque successoribus divinitùs
collato, quod quisque ex Catholicis fateri ad-
stringitur; nosque accuratè probavimus nostris
Litteris in forma Brevis, publicis typis evul-
gatis die 14. elapsi mensis Decembri, in dam-
natione libri Eybel, *Quid est Papa?* quem re-
probavimus tanquam continentem propositiones
schismaticas, erroneas, inducentes ad hære-
sim, & hæreticas, & alias ab Ecclesiâ
damnatas. Ex quibus liquet primum ab apo-
stolicâ Sede exerceri cepisse dispensationum ma-
trimonialium potestatem, & hunc usum penes
illam solam perseverasse, atque ad eandem solam
pertinuisse, prout totius Ecclesiæ consuetudine
& consensu fuit agnitus, cum alios Episcopos
eam sibi facultatem assumpisse non constet nisi
cum S. Sedis expresso vel præsumpto privilegio
tueri se posse considerent.

Si nunc igitur in Diœcesi tuâ Colonensi, pro
quâ hactenus Archiepiscopi tui prædecessores à
S. Sede facultatem impetrabant dispensandi in
gradibus expressis in formulâ, si nunc, inqui-
mus, dispensari inciperet à te, Ven. Frater,
jure proprio; quid aliud ageretur, nisi ut S. Se-

des suo spoliaretur juie , quod ab antiquissimo tempore sola semper exercuit , cuiusque exercendi tenuit non interruptam , sed constantem receptamque in Ecclesiâ possessionem ? qui certe tam inveteratus possessionis titulus , etiam si alia deessent in suo Primatu constituta fundamenta , valere per se ipse plurimum apud omnes deberet .

Nequè hic contrà objici ullum Imperatoris Edictum potest , cùm ejusdem extet Nobiscum satis jàm pervulgatum Concordatum . Ex eodem patet inter utrumque nostrum convenisse , ut eæ dispensandi ab Impedimentis facultates , quæ ante à Sede apostolicâ concedebantur suarum distinctionum Episcopis , extenderentur imposterum etiàm ad divitium matrimonia , ita tamen , ut in præfixas arctiorum graduum limites non transcurrerent . Ibidem igitur agnoscitur , ad summos Pontifices dumtaxat pertinens , seu privativa ipsorum jurisdictio in impedimentorum matrimonialium dispensationibus , quoniam eâdem uti conceditur Episcopis ex Pontificis delegatione , ipsique Pontifici adhuc reservatur usus concedendarum in arctioribus gradibus dispensationum . Ex quo perspici potest Cæsaream Majestatem in eâ Nobiscum conventione potius recedere voluisse à præcedente edicto , in quo Episcopis mandaverat , ut suo jure dispensationes facerent , quâm subjectos sibi populos ad conscientiæ angustias inducere , ac etiàm aperire dissolvendorum matrimoniorum viam ; cùm exorto inter conjuges dissidio , facile eorum alteruter causam dissolvendi matrimonii arriperet , ex eo quod irrita ac nulla fuisset Episcoporum dispensatio . Unde quanta rerum perturbatio ac penè clades in Ecclesiâ Catholicâ & in Republicâ oriretur ?

His omnibus præmissis , ut ad illam Declarationem redeamus , ad Nos unicè spectare vide-

bamus, ne ille error inter fideles induceretur. Quoniam si per nostrum silentium tantam tamque gravem rem in incerto reliquissimus, nabisipis erroris perturbationisque indè extituræ causa imputaretur.

Cùm igitur huic gravissimo muneri nostro deesse nequiverimus, cavendum tamen judicavimus ne in tali exequendâ re; ipse agendi modus in ulla posset reprehensionem incurrere. Itaque nihil in eâ declaratione nisi moderate ac simpliciter, quodque ad rem tantummodo faceret, prescribere voluimus, expressè nominari neminem, ipsam nullibi in publicis locis affigi, sed per manus cautè diffundi, illud unicè spectantes, ne nostra lateret instructio. Nemo enim inficiari potest, apertam aliquam esse debere supremo Pastori, docendi suas oves, monendique viam, quæ si obstruatur, privetur ipse imposito fibi à Christo Dōmino pascendi munere.

Sed nihil apud te nec rationes nostras, nec hanc etiam profuisse cautionem videmus. Statim tuo edicto severè mandasti, ut ad quos pervenisset ea Declaratio, illicò undè profecta est, remitteretur, ut itâ Pastoris vox oppressa atque intercepta remaneret. At insuper tibi displicuisse ostendis ipsum Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Damiatensem, à quo edita Declaratio est, quod se Apostolicum ad tractum Rheni, Notrūmque & S. Sedis Nuntium appeleret, quem Nos ipsi nostro jure eo insignivimus munere atque isthuc misimus, ut eodem in tuâ cæterisqne Dioecesis, quemadmodum alii omnes prædecessores sui, fungeretur? Talem esse eum agnovit, honorificèque recepit maxima istorum Episcoporum ac Principum pars pro suâ ad tractum Rheni ditione. Tu verò neque agnoscere, neque recipere voluisti, et si nostras pontificias

commendationis afferret ad te litteras, omniaque tibi se paratum præstare officia declarare. Quin etiam extraneum appellasti, ac si ad eum tuæ Dioecesis negotia nullo modo pertinere debeat; quasi nos ipsi extranei in Ecclesiâ Dioecesique tuâ simus, qui memorato jure Primatûs, à Christo per B. Petrum nobis traditi, eundem isthic constituiimus qui nostras vices gereret, ac apostolicam, prout ipsi commisimus, exercearet auctoritatem. Eam certè mittendi suos Apocrifarios, Legatos, Nuntios ad aliorum Episcoporum Dioeceses potestatem, semper jam ab antiquissimis temporibus exercuerunt prædecessores nostri; quam nempè cùm suo Primatûs jure nemerxam esse, sine ullâ dubitatione agnoverant. Ex ipso id satis intelligi potest Innocentio III, cùm scriberet Decano S. Hilarii & S. Petri, & S. Hilarii subdecanis Pictaviensibus Epistolam quæ est 12^a. inter collectas à Baluzio, tom. 2, lib. 16, undè oriatur jus Romano Pontifici mittendū Legatos in varias orbis christiani regiones quibus ipse præsens esse non posset, ad suas ibidem vires obeundas. Hoc ipsum etiam jus jam multis ante saeculis exercuerat S. Leo Magnus, ut ejus comprobat ad Episcopos Metropolitanos per Illyricum constitutos, quæ est 5^a, tom. 2. oper. edit. Tyrnav. 1767, pag. 34. "Et quia per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc à nobis Domino, qui apostolicæ dignitatis Apostolo Petro Primum fidei suæ remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem sollicitudinis quam habemus, cum his qui nobis collegii charitate juncti sunt, sociamus. Vicem itaque nostram Fratri & Co-Episcopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum quorum nobis recordatio est ve-

» neranda , commisimus ; & ut sit in speculis ,
 » ne quid illicitum à quoquam præsumatur , in-
 » junximus ; cui in his quæ ad ecclesiasticam per-
 » tinent disciplinam , ut Dilectio vestra pareat ,
 » admonemus ; non enim tam illi obtemperabitur ,
 » quam nobis , qui hoc illi pro nostrâ sollici-
 » tudine per illas provincias cognoscimur com-
 » mississe «. Idem S. Leo aliam misit de latere
 suo legationem ad Faustum , Marcianum , &
 reliquos Archimandritas Constantinopolitanos ,
 propter causam fidei quam Eutyches perturbare
 tentavit ; ut videre est Epist. 28 , tom. 8 , cit. edit.
 pag. 155. Alia item à S. Gregorio Magno missa
 est ad Anglos legatio ; alia à S. Gregorio II ad
 Germanos in personâ S. Bonifacii , confirmata
 deinceps à S. Zacchariâ , ab eodemque exercita
 per continuos sex & triginta annos usque ad
 Pontificatum Stephani II , qui eam Bonifacio re-
 novavit , ut eruitur ex Epistolâ 91 . S. Bonifacii
 inter Collectas à Nicolao Serrario , edit. Mogunt.
 1605. Aliae pariter legationes à S. Nicolao I ,
 qui misit Episcopum Arsenium in Gallias , &
 Germaniæ partes , & Donatum Leonem , atque
 Marinum Constantinopolim ; à Leone VII ad
 Episcopos per Galliam , Germaniam , Bavariam ,
 Alemanniam commorantes ; à Paschali II ad
 provincias Bituricensem , Burdigalensem , Ausci-
 tanam , Turonensem & Britanniam , quas legatio-
 nes confirmavit Callixtus II. Atque illa præ-
 fertim legatio animadverti debet Adriani IV ad
 Hillinum Trevirensem Archiepiscopum : Ut per
 universum Teutonicum regnum vices suas gere-
 ret , ibique legationis officio Apostolicæ sedis auc-
 toritate fungeretur. Ob quam legationem irrita-
 tus Arnoldus Moguntinus , eidem postea ac-
 quievit , & nomine Pontificis , Moguntiæ Hillinus
 cum magnâ gratulatione fuit introductus (Epist.

Adriani, tom. I, Hist. Trevir. Diplom, pag. 580, cum not. in calce Episcopi Myriophitan. Collectoris). Ac ita jus apostolicæ Sedis, non interruptâ Nuntiorum serie, ad hæc usque tempora illæsum servatum est. Ipsæ enim legationes & Nuntiaturæ Pontificiæ existimatæ semper sunt adeò necessariae ad retinendam inferiorum sedium cum primâ sede conjunctionem, ut quo tempore neglectæ fuerunt, eo ipso disciplinæ ecclesiasticæ perturbatio oriretur. Id testatur Honorius III, Epist. ad Rogerium, Archiepiscopum Pisanum (apud Ughellium, Ital. Sac. tom. 3, postrema edit. Venet. col. 382). » Cor- » ficana verò tam prolixitate spatiorum quām » negligentiâ Pastorum, dominorum insolentiâ & » desuetudine Legatorum Sedis Apostolicæ, à » subjectione & obedientiâ Romanæ Ecclesiæ de- » ferbuerat, & dissolutioni ac dissipationi dedita, » ecclesiastici ordinis penè deseruerat disciplinam«.

Cum tibi tuisque Collegis Archiepiscopis-Electoribus perspecta esse deberent tam clara Apostolicæ Sedis jura, tamque necessaria membrorum cum suo Capite unionis conservatio, nihil tamen minus publicum fecistiis edictum uno omnium consensu, quo ut jam superius diximus, parochis mandasti, ut ad Nuntium Colonensem eam transmitterent instructionem. Omnes certè imitati esse videmini Episcopum illum Pictavensem, de quo in suprà memoratâ Epistolâ 12^a. Innocentius III gravissimè conquestus est, quod publicè prædicaret, velle esse se in Episcopatu suo Episcopum atque Papam. Ideòque suis commisit delegatis, ut severiora implerent mandata, postpositis gratiâ, odio & timore, ut de negligentiâ, inquit, redargui non possitis, sed potius de diligentia commendari. Sanctus etiam Leo Magnus pari voce invectus fuerat contra eos

Episcopos , qui sacros Canones infringerent ;
 Epist. 3a. ad Episcopos per Campaniam , Pi-
 cenum , Tusciā , & universas provincias con-
 » titulos , cap. 50 cit. edit. » Hoc itaque ad-
 » monitio nostra denuntiat quod si quis Fratrum
 » contra hæc constituta venire tentaverit , &
 » prohibita ausus fuerit admittere , à suo se no-
 » verit officio submovendum , nec communionis
 » nostræ esse consortem , qui sōcius esse noluit
 » disciplinæ «.

At fortasse obstare dices Cæsaris mandatum ,
 quod in ejus Epistolâ Encyclicâ continetur die
 12^a. Octobris 1785 datâ. Sed primum Cæsar
 cùm ad eum deferrentur querelæ , in S. Sedis
 potestate non esse Nuntios mittere , respondit ;
 non solum unum , sed tres etiam Nuntios posse
 constituere. Sed cùm deindè ab aliquibus ad
 eundem expugnandum insisteretur , emisit ille
 quidem , quæ adducitur , Encyclicam , sed eam
 ipsam iis temperavit verbis , ut potestatem , quam
 S. Sedes haētēns per suos exercuit Nuntios ,
 præter jus lædi noluisse yideretur. Atque ut præ-
 tereamus , si ea Circularis vim legis haberet ,
 quantoperè adversaretur canonice sanctionibus ,
 per quas Pontificii Nuntii agnoscit & recipi de-
 bent , nedum ab Archiepiscopis & Episcopis ,
 sed ab omnibus etiam Catholicis ; satis quidem
 constat non illam esse considerandam ut legem ,
 sed ut simplicem meræ insinuationis Epistolam à
 Cæsare per nonnullorum importunitatem extor-
 tam , neque in eâ partes agi legislatoris , sed ad-
 vocati , ut illæsa scilicet ab Archiepiscopis con-
 serventur primæva jura , quæ per erroneous quere-
 las ablata ipsis esse dicebantur mediis illicitis , &
 juri Ecclesiæ repugnantibus. Declaravit portò se
 non jubere , sed exhortari , cum diceret : *In simili-
 te provocamus , ut jura tua Metropolitica , Suffra-*

ganeorum tuorum , ac exemptorum Episcoporum
consilio , contra quasvis lāiones illibata tuearis.
Quis ex his aliisque verbis non videat salvam esse
Archiepiscoporum & Episcoporum libertatem ,
quæ per exhortationem non tollitur , neque Ar-
chiepiscopis quidquam amplius auctoritatis in suos
Suffraganeos delatum , cùm ex eorum consilio
sua illi jura tueri moneantur ? Quomodo porrò
de ipso Cæſare cogitari potest , eum sancire vo-
luisse pro universo Imperio legem contra Nun-
tiorum jurisdictionem , cùm idem optimè agnos-
cat in materiis ecclesiasticis regi Imperium ex
Ecclesiæ legibus ; ac in aliis materiis non aliter
sanciri leges quam à Comitiis , seu ab integro
Germaniæ Corpore ; atque Comitia quidquam
detrahere non posse à suprēmo suorum Princi-
pum in eorum ditionibus jure , per quod ipsa
Corporis Constitutio non lœdatur. Sed de his ali-
isque huc pertinentibus prolixius egimus in nos-
trâ ad Venerab. Fratrem Ludovicum Josephum
Episcopum Frisingensem Epistolâ , die 12 Octo-
bris anni præteriti datâ , ac deindè typis Mona-
chienibus & latinè & germanicè editâ .

Quod reliquum est , Ven. Frater , post supe-
rius expositas sanctissimorum doctissimorumque
prædecessorum nostrorum rationes , quibus illi
suæ Sedis jura servanda ac vindicanda esse ju-
dicarunt , Nos nunc tecum non aliud quam nos-
trum morem sequuti , hortationes precesque ad
te nostras convertimus , ut recordari velis , quâ
te fide sacris legibus , Ecclesiæ , Apostolicæ Sedi ,
Nobisque obstrinxeris. Te igitur quantum possu-
mus in Domino obsecramus , Vener. Frater , ne his
miserrimis Ecclesiæ temporibus nobis nova infligan-
tur vulnera , à te scilicet , à quo minimè expectan-
dum erat , quæ tantò altius confodient cor nostrum ,
quantò anteā certiora Nobis tecum unionis vincula ,

atque Ecclesiæ præsidia extitura sperabamus. Ea
certa est nostra de regio animo tuo fiducia, ut
rationes has precepsque nequaquam sis rejecturus.
Quod si adhuc urgere perges, Nostrisque, ac
sanctæ hujus Sedis damnis infistere, maximam
quidem afferes Nobis doloris accessionem; sed
is quantuscumque fuerit, efficere profectò non
poterit, ut animum nostrum ab eo deducat pro-
posito, ne scilicet unquam à transmissio in nos
Primatū jure decedamus.

Demùm hisce litteris finem imponemus verbis
prædecessoris nostri S. Nicolai I, qui in suâ ad
Rodolphum Archiepiscopum Bituricensem Epis-
tolâ (quæ est decima tertia in Appendice aliarum
collectâ à Labbe, tom. 9. Concil. edit. Venet.
» 1729) sic fatur. » Vesta Reverentia nos non
» existimet, quia Nostra dicimus, in hoc quicquam
» præter veritatem dicere; cùm Dei potius quam
» nostra sint Beati Petri meritis Romanæ Sedi
» collata. Et arbitramur, quod nos hic afferimus,
» etiā vos nullatenus ignorare, & quæ in
» præsenti paginâ scribimus, vos affatim in ar-
» chivis vestris recondita possidere ». Tibique,
Venerabilis Frater, à Deo optimo maximo
consili spiritum enixè implorantes, Apostolicam
Benedictionem, coelestium donorum auspicem,
in nostræ etiā paternæ charitatis pignus aman-
tissimè impertimur. Datum Romæ apud S. Pe-
trum, sub Annulo Piscatoris, die 20 Januarii
1787 , Pontificatus nostri anno duodecimo.

Nº. II. p. 98.

LITTERÆ Reverendissimi & Serenissimi Archiepiscopi & Electoris Coloniensis, ad Summum Pontificem, Bonnæ, 2ā Aprilis 1787.

QUAS Sanctitas vestra sub die 20mā Jan. ad me dare Litteras dignabatur, summā quā decet, reverentiā, accepi. Ex illis non sine magno animi dolore ea quae ab Archiepiscopo Damiatensi in Archidioceſi meā nuper acta, & à me ad Sanctitatem vestrā delata sunt, omni ex parte à te, SSme Pater, comprobata intellexi. Hoc ab æquā Sanctitatis vestræ agendi ratione eò minus expectabam, quò evidentiora & graviora sunt vulnera, quae per litteras ab Archiepiscopo Damiatensi Parochis meis insinuatas, universo ordini Hierarchico, Disciplinæ ecclesiasticæ, Jurisdictioni meæ Archi & Episcopali, necnon juri meo territoriali infligebantur. Tanta potius mei erga te, SSme Pater, tamque filialis semper fuit reverentia ac devotio, ut ægro nonnisi animo ea, quae à Nuntio tuo acta fuere, Te sciente ac approbante facta fuisse, mihi persuaserim. Præclaræ etenim animi tui dotes, & notus omnibus veritatis ac justitiae amor, cuius luculenta toties argumenta dedisti, obſtitit semper, quo minùs crederem animum ad omne genus boni proclivem eò adduci potuisse, ut nullâ mecum deliberatione habitâ, non exploratis prius meis rationibus, nec prævio paterno, si opus fuisset, monito, ad medium convolare omnibus retrò ſæculis in Ecclesiâ inauditum. Si prius communicate

mecum Sanctitati vestræ placuisset, filiali certe fiduciâ tot tantasque rationes exposuisset quæ Sanctitatis vestræ animum immotum non reliquissent. Verum ejusmodi via, quamquam SS. Canonibus omnino congrua, præclusa mihi fuit; nec præter iteratas querelas ad Sanctitatem vestram delatas, aliud superfuit medium, quo læsa Episcopalis auctoritas, ac perturbata tot familiarum pax & tranquillitas restituerentur, quam ut Cæsareæ Majestatis quæ supremi Ecclesiæ Advocati præsidium enixiū implorarem. Quid ab eodem in hâc causâ resolutum fuerit, adjunctum Senatus Imperii Aulici Conclusum docet. Ast ingenuè fateor, non sine maximo mœrore id factum fuisse, quod adversus communem fidelium Patrem, quem summo semper amore ac summâ pietate veneror, ad ejusmodi media mihi recurserendum fuerit. Verum te ipsum, SSme Pater, latere nequit, quo pacis studio conservandæ, omnimodæ cum summâ Sede concordiaz inten-
tus semper fuerim, & quantas per Legatum meum Romæ residentem fecerim propositiones SS. Canonibus in omnibus conformes: sed finistro fato evenisse doleo, quod Sanctitatis vestræ animum alienis jam præoccupatum consiliis, ac precibus meis flecti nescium invenerim. Tantum enim absuit, ut, quod expectabam, conatus meos secundares, quin potius creverit gravaminum materia. Multiplicata fuere in Germaniâ Ecclesiastica Tribunalia, constituti inferioris ordinis Clerici, qui suis invigilarent Episcopis; & ipsa Episcoporum potestas & facultas apud ipsos inferiores animarum Pastores in dubium ab Archiepiscopo Damatensi vocata; ac hi, ne Præfulis sui mandatis obtemperarent, disertis verbis publicè typis mandatis moniti fuere. Si officio Archi & Episcopali hucusque pro viribus à me satisfactum, nihilque intermissum

intermissum fuit quod rectum Ecclesiarum mihi
 commissarum regimen exposcebat, urgentes illas
 causas subintrare non video, quibus Sanctitati
 vestræ vi Primitus à Deo instituti jus competit,
 pro conservandâ Religionis unitate ac puritate,
 extraordinarios mittendi Legatos ad Ecclesiastis, ubi
 Religionis necessitas id postulaverit; si hoc, ut
 confido, non existit, multò minus me obligatum
 censes, ut Nuntio jurisdictione & facultatibus ins-
 tructo, in grave potestatis meæ ordinariæ præjudi-
 cium, locum cedam, quem Christus ut ibi vigilem,
 ut ibi laborem, mihi commisit. Hanc ob rem Sancti-
 tas vestra æquum agnoscere dignabitur desiderium,
 quo ab Archiepiscopo Damiatensi in Archidioecesin
 meam ingredienti exigendum esse duxi, ne ullum
 ibi jurisdictionis actum in conformitate Rescripti
 Cæfarei de dato 12^a. Octobris anni 1785, in Imperio
 emanati, exerceret: & cum id scriptis spondere nol-
 let, illum in qualitate Nuntii vi muneric mei Archie-
 piscopaloris, & jure territoriali acceptare non po-
 tui. Quam gravia potius damna juribus illis in-
 ferre machinabatur, actus ille probavit, quo jus
 dispensandi, essentiale illam Episcopalis aucto-
 ritatis partem, in dubium revocare eique contra-
 dicere ausus est. Cum tamen Sanctitati vestræ
 plusquam notum sit, à Jesu Christo Religionis
 nostræ auctore potestatem ligandi & solvendi,
 quam D. Petro promisit, & tradidit, reliquis
 etiam Apostolis integrum communicatam fuisse;
 adeò ut jus illud solvendi & dispensandi inter essen-
 tialia Episcoporum jura divinitus data contineat-
 tur, in omnes Apostolorum successores tran-
 seat, iisque individuè cohæreat, neque ullâ ratione
 immixti, multò minus alienari possit. Ex historiâ
 quoquè Ecclesiæ Tibi palam est ac perspicuum,
 SSme Pater, nullo Conciliorum oecumenicorum
 Canone Sanctitati vestræ soli, Archi & Episco-

pis reliquis exclusis , jus dispensandi in impedimentis matrimonii privative reservatum esse. Hæc omnia tam manifesta sunt, ut dubium nullum superfit, quominus ea, quæ huc usque à nobis acta sunt, sis approbaturus; si modò rem penitus examinare digneris. Non enim personarum illarum multitudo, quæ sub pio prætextu variis artibus sibi vietum parant, sed mutua charitas, mutua fiducia sacram tuentur in Ecclesiæ hierarchiam; non multiplicatæ instantiæ, & aucti in Ecclesiasticis iudicis sumptus administrandæ inserviunt justitiæ, sed solers cura ac solitudo, ne judices ordinarii muneri suo desint; non privilegiorum auctus numerus, sed filialis inferiorum erga Præfides fiducia, ac immediata erga eosdem subjectio, ministros Religionis, ut officio sanctè satisfaciant, impellet. Hisce invigila, Beatissime Pater, hisce intende ac universam Ecclesiam doce, quod præclaræ animi tui dotes adimplendis illis Te parem redundunt, quæ tot viri sanctitatis gloriæ insignes tot frustrâ sæculis desiderârunt; probes, evanuisse illa tempora, quæ querelis locum dedere, probes Ecclesiæ præesse Pastorem, qui, suggestionibus privatorum non attentis, nil aliud præ oculis habet quam bonum totius Ecclesiæ, ac salutem animatum. Ecclesia tranquillitatem diu desideratam in gratiis perpetuò Tibi referet, Tuque memoriam piâ semper mente, ac devoto affectu recolet. (a) A me vero nulla unquam intermitetur occasio, qua profundissimam meam Sanctitati vestræ devotionem contestari, ac demonstrare possim, me jurium Sanctitati vestræ seu Capiti supremo Ecclesiæ competentium non derogatorem, sed propugnatorem esse acerrimum atque sub hoc continuo obsequendi studio à Sanctitate vestrâ Benedictionem Apostolicam rogo.

(a) Sic filius das præceptu Patri!

Nº. III, Pag. 85. 171.

*Venerabili Fratri Ludovico - Josepho, Episcopo
Frisingenſi,*

P I U S P. V I.

VEN. frater, salutem. Deesse Apostolico Ministerio nostro crederemus, si sub silentio præteriremus litteras tuas die 12^a. Augufti ad nos datas, in quibus cùm epiftolæ noſtræ responderes ad te transmiffæ à noſtro Monachienſi Nantio, præſliturum te illi operam tuam in ea verba significabas: quatenus mihi ſtante edicto ſacræ Caſareæ Majestatis, quod 12 Octobris anni præterii 1785 hâc in cauſâ in Imperio emanavit, integrum erit.

Id à te, ven. frater, nobis planè inexpectatum accidit; cùm perſpectiſſima tua eſſet jam ab eo tempore, quo hic Roane in ſacra incubuſti ſtudia, erga ſ. hanc ſedem obſervantia, ac nobiſcum pluribus tuae pietatis officiorumque indiciis comprobata conjunclio. Minimè quidem mirum nobis eſt, illos abuti Caſareo edicto, qui etiam per artificium, ut idem conficeretur, curarunt. Facile certe, quo illi ſpectent, agnoscimus, ut nimirū super alios dominantur.

Ipsi prætexunt timorem, quem nos ab eorum animis tanquam vanum atque inanem, cum iſdem reſponſa daremus, oſtendimus. Sed hic longum & non neceſſarium eſſet, qui ſint illi, quaque detulerint querelas ad Caſarem, quibusque uſi ſint ad eum expugnandum rationibus, commemorare. Quæ omnia certe omnibus in Germaniā, nedum tibi ſunt cognita ac perſpecta. Ipſe certe Caſar, cùm ad eum conſugerent, aperte declaravit, eſſe in ſ. ſedis arbitrio, mittere, ſi

N 2

ita ipsi videretur , non solum unum , sed tres etiam Nuntios , neque se , qui caput est Imperii , huic immisceri negotio debere , cum illud certe nullo modo ad constitutiones Imperii pertinere intelligeret . Hæc sunt expressa verba Comitis de Seinsheim in suis literis , die 8 Junii 1785 ad Ministrum Romæ residentem perscriptis . Multum quidem abest ut credamus , te cum iis , de quibus loquimur , hæc in re societatem iniisse . Proinde nequaquam tibi displicere posse existimamus , si nos , omnem auferre ex animo tuo dubitationem cupientes , paterno studio aggrediamur , demonstrare tibi , illam Cæsarialis epistolam encyclicam , seu circularem , neque revera obstatore , nec etiam obstatre posse , quominus recipientur S. Sedis Nuntii , nostras gesturi vices , ea cum potestate ac jurisdictione , quam haec tenus exercuerunt .

Notissimæ sunt canonicae Sanctiones , per quas potest Romanus Pontifex vi sui primatûs , non ab hominibus , sed à Deo constituti , suos mittere Nuntios , prout postulare tempora videantur , eosque debere agnosci , & cum honore recipi ab omnibus Catholicis , praesertim vero ab Archiepiscopis , & Episcopis , qui solemniter jurejurando ad hoc explendum officium sese obstrinxerunt . Proinde nullus est dubitandi locus , si etiam legi vim , aut edicti obligatorii & coactivi haberet supra memorata circularis , hanc ipsam tamen non posse , ut potè à potestate laicâ prodientem , obstatore Ecclesiasticarum legum observantiae : atque idcirco nullum ex Catholicis , multoque minus ex Episcopis eandem adducere posse tanquam causam , se ab onere fibi imposito subtrahendi : quin immò ob eam conjunctionem , quæ illis nobiscum tanquam membris cum capite intercedit , & ob eam , ad quam vocati sunt , nostræ pastoralis sollicitudinis partem , suam omnem curam , studium atque operam nobiscum conjungere deberent , ut in columnis atque integra retineretur Ecclesiæ auctoritas , atque hunc in modum sequi eorum Germanie Episco-

porum exempla , qui & antiquis & recentibus hisce temporibus Jurisdictionem Romanorum Pontificum in hâc etiam parte multâ cum laude sustinuerunt , & sustinent.

Sed omnis reverâ iis eripitur sua , quam prætexunt , ratio , statim ac ea circularis non tamquam lex seu edictum , ut ipse afferis , consideranda non sit , sed ut simplex meræ insinuationis epistola , per nonnullorum importunitatem à Cæsare precripta , non personam legislatoris , sed Advocati & Imperii defensoris gerente : quâ epistolâ nil aliud agit , quam ut Archicæpiscopos hortetur , quo illæsa conservent sua primæva jura , quæ per falsas ac erroneas querelas ablata ipsi esse feruntur mediis illicitis , & juri Ecclesiæ repugnantibus , neque permittant , quemadmodum nec permisurum se ipse proficitur , Nuntii exercitium jurisdictionis in causa Ecclesiasticis . Subjungit porro , se , dum exponit hanc animi sui intentionem , non jubere , sed exhortari , hisce nimis verbis : » Insimul te provocamus , ut jura tua » Metropolitica , & Diœcesana tâm pro parte tuâ , quam » atento etiam Suffraganeorum tuorum ac exemptorum » si qui provinciæ tuæ insunt Episcoporum consilio contra » quavis lœstiones illibata tuearis ». Demum Cæsaream illis protectionem promittit.

Si hæc igitur & non alia sunt dictæ circularis verba , unusquisque facilè videre potest , salvam esse Archicæpiscoporum & Episcoporum libertatem , quæ per exhortationem non eripitur ; & ipsos præterea Archicæpiscopos nullam inde consequitos esse auctoritatem , ad suos adstringendos Suffraganeos , cùm agere non nisi ex eorum consilio deheant . Ex quo pater , si quid novi in Germaniâ acciderit in detrimentum jurisdictionis Nuntiorum , non factio Cæsaris imputandum , sed Archicæpiscopis & Episcopis esse tribuendum .

Et reverâ quomodo id cogitari potest , ut Cæsar sancire legem voluisse pro universo Imperio contra Nuntiorum jurisdictionem , quandò Imperium ipsum

glorie sibi semper esse duxerit, quod in materiis Ecclesiasticis se regeret ex Ecclesiae legibus, & præsertim primæ Sedis, à quâ veræ Religionis initia recepit, & quandò idem Imperium in materiis ad ipsum pertinentibus non alias agnoscit leges, nisi illas, quæ sanctiuntur à Comitiis, seu ab integro Germaniæ corpore, neque ipsa Comitia detrahere quidquam possunt à supremo suorum Principum jure cuius vi eorum quisque in suis ditionibus potestatem habet agendi quod velit, dummodò corporis constitutionem non lèdat.

Non ignoramus multorum sermone nunc id spargi, quod nova Nuntiorum in Germaniæ institutio inconciliis & invitis Episcopis, repugnet Concordatis Germaniæ, quæ ex jure patrio S. sedem stringunt, & quod id à rationibus Episcoporum Germaniæ planè alienum sit, & quod plena sunt acta publica Imperii vestri querelis & gravaminibus, quæ contra Nuntiaturas ultra saeculum jam mota sunt. Plurimi recessus Imperii & Capitulationes Caesareæ ad novissimam usque, id aperte loquuntur; sed neque etiam ignoramus, nullo iam ipsum fundamento nisi, quoniam si ad Concordatum Germanicum respiciamus, fieri in ipso expressam mentionem invenimus. Nuntiorum auctoritatis, eamque approbari (§. Placet nobis 3) sed non invenimus illorum definiri numerum, vel impediri, quominus sine Episcoporum consensu mittantur, quandò ipsorum principum consensus non ex necessitate, sed ex honoris convenientia sit obtinendus: quanquam in casu, de quo agitur, certiores facti fuerint Archiepiscopi, qui nunc adversantur, eisque datum sit ejusmodi responsum, quod ipsos à suo timore, nisi is simulatus fuerit, omnino deducere potuerit.

Sed si de *recessibus* Imperii loquamur, veræ quidem sunt querelæ identidem excitatae, sed verum est etiam, querelas non jam contra subsistentiam & Jurisdictionem Nuntiaturarum motas, sed contra *prætentos abusus* Nuntiorum, fuisse, tanquam rationis fundamentio carentes,

ab Episcopis, ad repugnandum zelo inductis, in Germania contradicetas, tantumque abesse, ut illae quidquam nocuerint, ut etiam dictam Jurisdictionem confirmarent, atque haec ipsa nunc non obstantibus qui buscunque quarelis multorum sieculorum possessionem habet, qui titulus universim agnoscitur & ab omnibus orbis nationibus retinetur.

Si denique loquamur de *Capitulationibus Cæsareis usque ad postremam*, haec fanè evidenter convincunt, Nuntios in Germania debere & posse liberè exercere Jurisdictionem S. sedis nomine; quippe his ipsius Capitulationibus nihil aliud intenditur, quam ut dicta Jurisdictione limitata sit ad causas Ecclesiasticas, utque una excludantur civiles causæ, ita ut exorta controversia, civilisne an Ecclesiastica sit causa, unusquisque ex electis Imperatoribus promitteret sua interponere officia apud S. sedem pro amicâ declaratione, ut legitur in ultimâ Capitulatione aliis antecedentibus uniformi, in Art. 14, §§. 4 & 5. Haec limitatio jam ab initio contradicta fuit in recessibus annorum 1654 & 1658 protestante tamen Nuntio S. Felice, & in alio recessu anni 1664, similiiter protestante Episcopo Paderbornensi.

Sed ut nunc prætereamus, quod tum contra eam novitatem actum fuit, jam optimè intelligis, ven. frater, ipsum Imperatorem suo jurejurando adstriculum ad Capitulationum observantiam, neque voluisse, neque potuisse sancire pro universo Imperio coactivam legem ad omnem abolendam Nuntiorum Jurisdictionem, contra fundamentales tam Ecclesiæ quam ipsius Imperii leges.

Post perspicuas has atque illustres demonstrationes, minimè necesse est, tibi commemorare clarissimum exemplum, sub tuis oculis positum; Electoris Palatini, qui unus est è præcipuis Imperii Membris. Is ea libertate utens, quæ intacta cuique relinquitur, sancitæque huic Sedi illud obsequium deferens, quod multo magis ven. fratres Episcopi deferre deberent, ad maiorem suorum populorum utilitatem constitui voluit

N

cum consuetâ Jurisdictione Nuntium in omnibus suis
ditionibus Palatino-Bavaris, qui ipse Nuntius à variis
agnoscitur Episcopis & Abbatibus Germaniae, & à Ca-
tholicis populis, Electori etiam Brandenburgico sub-
jectis, qui item est alterum è præcipuis Imperii Membris.

Propterea, cum tu, ven frater, te esse profitearis
zelosissimo animo præfato Archiepiscopo & Nuntio pro
moderno suo munere omnem locandi operam, à me-
morata circulari induci non debes ad ullam formidi-
nem, ne tua ordinaria jura lèdantur; cum id accidere
omnino non possit, statim ac non aliam auctoritatē
habet novus Nuntius, quām quæ haçtēnus sine ullo
Ordinariorum jurium detrimento ab aliis Nuntiis fuit exer-
cita; itemque eidem Nuntio à nobis expressè manda-
tum fuit, ut sibi tecum, & cum aliis Episcopis con-
veniret, utque omnium vestrum eam ipse haberet,
quæ par esset, rationem. Hunc in modum nostræ vo-
luntati, Ecclesiæque & imperii legibus obsequens, tibi
proximiorem habebis, qui nostro nomine defendat &
tueatur jura tua, & bene de ipsâ Religione merceris,
& populis eam conservabis utilitatem, quam S. Sedes
iisdem cum proprio etiam impendio præstari per suos
Nuntios curat, quorum utilitas ab ipso Hontheim ad-
mittitur, ut fatetur in Historia Trevirensi, Tom. II,
ad Differt. Saeculi XVI, §. 10, pag. 540.

Quod si ipse, qui suffraganeus es Archiepiscopi Sa-
lisburgensis, ad adversantium nobis consilia accederes,
præter quod juratam fidem non servares, neque stares
Ecclesiæ Imperiique legibus, publicæque utilitati apertè
te opponeres: ea etiam incurres pericula, à quibus
cavere omnino tui causâ debes, non solum S. Sedis
ejusque Nuntiorum auctoritatē te subtrahens, quæ certè
Germanicam libertatem non lèdit, sed tuo subjiciens
Metropolitano ultra terminos ab universalī Ecclesiâ præ-
criptos, ad quod certè affequendum adversantium
conatus spectare, nemo est qui non intelligat. Sed nos
ita persuasi sumus de intimâ nobiscum & cum Apost-

tolicā Sede animi tui coniunctione, deque tuæ mentis intelligentiâ, ut minimè dubitemus, quin anscultatus sis nostris hisce adhortationibus, eoque magis, quod certus esse possis, si quis fortè abusus oriretur, & si quæ proveniret iurium ad Archiepiscopos, Episcopos & principes Imperii spectantium violatio, promtos nos, paratosque fore ad eos auctoritate nostrâ tollendos, propter cæque illam nos declarationem confirmamus, quam prædecessor noster Alexander VII per superius memoratum Nuntium S. Felicem emisit in Comitiis anni 1658. Hac de te fiduciâ freti, singulari paterni animi benevolentia, quâ fraternitatem tuam complexi semper sumus, Apostolicam benedictionem tibi, tuæque fidei concreditis populis per amanter impertimus. Datum Romæ die 18 Octobris 1786. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Nº. IV. Pag. 95.

BARTHOLOMÆUS PACCA, Dei & apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Damiatenfis, sanctissimi domini nostri Pii divinâ Providentiâ Papæ VI, Prælatus domesticus, & Pontificio folio assistens, ejusdem ac diœclæ sanctæ Sedis, ad tractum Rheni, aliasque inferioris Germaniae partes, cum protestate Legati de latere, Nuntius.

QUUM ad notitiam sanctissimi domini nostri Pii P. VI, pervenerit, in quibusdam dioecesis & a nonnullis Archiepiscopis concedi dispensationes ab impedimentis matrimonialibus, in gradibus nequaquam expressis, aut comprehensis in facultatibus a Sede apostolicâ imperatis: idcirco Sanctitas sua ne quid temerè per hujus-

modi dispensationes obrepat, quod fideles in errorem inducat, & ne quis factorum ignorantiam in re tam gravi prætexere unquam valeat, districte nobis præcepit die 18 octobris proxime elapsi, ut facultates quas à sanctâ Sede ab antiquissimo tempore nominatim postularunt, & obtinuerunt, atque etiam nunc de quinquennio in quinquennium sibi confirmari postulant, & obtinent Rmi. archiepiscopi Moguntinus, Coloniensis & Trevirenis, palam omnibus faceremus, & si quid contra factum, fierique continget, irritum diceremus. »

» Nos igitur sanctissimi domini nostri Papæ jussa exequentes, præsentibus nostris litteris notum omnibus facimus & declaramus non alias dispensandi facultates præfatis Rmis archiepiscopis competere præter eas, quæ in singulis eorum indultis explicitè continentur: dispensandi nimis, in tertio & quarto simplici, & mixto tantum cum pauperibus in contrahendis, in contractis vero cum hereticis conversis etiam in secundo simplici, & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum; ut liquet ex tenore indultorum juxta formulam tertiam typis impressam. »

» Ubi enim primum quorundam Episcoporum & Archiepiscoporum necessitatibus & precibus occurrere volens apostolica Sedes, prædictam formulam concessionis invexit (antea enim perraro & plerumque in hereticorum ad unitatem ecclesiæ redeundum gratiam dispensandi facultas uni aut alteri ordinario concedebatur) indulta apostolica indeſinenter enixis precibus de quinquennio in quinquennium à Rmis. Archiepiscopis expostulata sunt, & benignè concessa, licet aliquando aliquā interiectâ morā. »

v Rmns. Archiepiscopus Coloniensis Ferdi-

handus primum quidem confirmationis indul-tum obtinuit die 21 decembris 1645, quo de-functo illius in Archiepiscopatu successor Maximilianus-Henricus cum die 12 januarii 1651, easdem sibi facultates à Sede apostolicâ tribui obtinuissest, de quinquennio in quinquennium sibi prorogari facilè consequutus est 16 decembris 1655, primâ julii 1662, 30 junii 1667, 30 junii 1672. »

» Item Joseph-Clemens ex principibus Bavariae, cui præter Coloniensem Archiepiscopatum, ecclesiæ quoque Hildesheimensiſ & Leodiensiſ admi-nistratio concredata fuit, postquam indultum juxta prædictam formulam tertiam à sanctâ Sede impe-trasset 6 maii 1677, idem prorsus, sibi con-firmari summo studio contendit quinquennio quo-libet exeunte, videlicet trigesimâ aprilis 1682, nonâ aprilis 1687, 29 januarii 1693, decimâ de-cembris 1698, 20 Ibris. 1703, 26 septembribus 1708, 14 septembribus 1713 & 1718, 17 junii 1723. »

» Post illius obitum renuntiatus archiepiscopus Coloniensis Clemens-Augustus confuetas dispen-sandi facultates sibi à summo pontifice quæsivit anno 1728, easque statim temporibus confirmari curavit, repetitis indultis 13 augusti 1733, 6 augusti 1738, 4 julii 1743, 22 maii 1748, 10 maii 1753, 13 aprilis 1758, »

» Nequæ secùs actum est ab reliquis episcopis Coloniensiſ successoribus, quorum extant con-cessiones atque confirmationes habitæ 23 junii 1761, 26 junii 1766, aliæque usque ad hodier-num serenissimum archiepiscopum Maximilianum ex archiducibus Austriae, qui post impetratas à sanctissimo domino nostro dispensandi faculta-tes juxta prædictam formulam tertiam, prout cum illius prædecessoribus factum fuerat, easdem ad quinquennium prorogari petiit 27 maii 1784. »

» Colonensium Archiepiscoporum exemplis
excitati Archiepiscopi Moguntini, jam pridem
ab anno 1653 de hujusmodi facultatibus im-
petrandis, instaurandisque admodum solliciti fue-
runt, ut constat ex pontificis decretis editis 6
junii 1658, 3 maii 1663, 12 aprilis 1668, 6
junii 1674, 5 martii 1676, 14 martii 1680,
itemque 28 martii 1685, 12 martii 1722, 13
mai 1728, 11 decembris 1732, 2 januarii
1738, 25 aprilis 1743, 22 maii 1748, 5 julii
1753, 17 augusti 1758, 22 septembris 1763,
22 septembris 1768, 11 julii 1782. »

» His demum apprimè coherent facultates,
quas sibi à summis pontificibus delegari, confirma-
rique curâtunt archiepiscopi Trevirenses 5 aprilis
1662, 17 novembris 1667, 20 novembris 1681, 27
novembris 1686, 15 novembris 1691, 3 jauarii
1697, 9 martii 1702, 28 martii 1711, 1717,
26 martii 1722, 10 junii 1727, 26 januarii 1730,
3 februarii 1735, 27 januarii 1740, 4 martii
1745, 3 aprilis 1750, 17 aprilis 1755, 12 februarii
1756, 13 novembris 1761, 20 februarii 1766, 13
junii 1768, 12 martii 1778, 7 aprilis 1783. »

» Quamvis autem hodiernis celissimis Archie-
piscopis Coloniensi, ac Trevirensi, circa annum
1782 à summo pontifice concessum fuerit dis-
pensandi (cum subditis Austriacis) in gradibus
tertio, & quarto simplici, & mixto, tantum
nedum cum pauperibus, sed etiam cum nobili-
bus & divitibus in contrahendis; non ideo licet
superadditam hanc facultatem aut extendere ad
tertium & quartum gradum mixtum cum secun-
do, quod ne per formulam quidem tertiam un-
quam licuit, aut ad alios gradus, ad alias personas,
& loca extra ditionem Austriacam posita, am-
pliare. »

» Cùm itaque ex his omnibus pateat Rmos.

(205)

Archiepiscopos Moguntinum , Coloniensem & Trevirensem non aliis potiri dispensandi facultatis , nisi contentis & expressis in formulâ tertiatâ , quas ipsi de quinquennio in quinquennium sibi confirmari à sanctâ Sede hactenùs instituerunt , itemque certum fit ejusdem formulæ tertiae ampliationem à summo pontifice nuper invectam pro diœcesibus Trevirensi & Coloniensi , subditos , ditionesque Austriacas duntaxat attingere ; idcirco noverint omnes , ad quos pertinet , immotumque permaneat , quascumque dispensationes , feciis , quâm per formulam tertiam , ejusque novissimam ampliationem liceat , aliuinde quâm ab apostolicâ Sede profectas nemini suffragaturas ; neque propterea ratum validumque futurum desuper matrimonium sobolemque , si qua ex ejusmodi incestis nuptiis prodierit , quocumque legitimatis jure destitutum iri . »

Datum Coloniæ , pridiè kalendas decembis
1786.

Nº. V. Pag. 97.

DECRETUM COMMUNE:

In conformitatem clementissimi Rescripti Electoralis de dato Monasterii 21 Decembri anni currentis , omnibus curiæ Assessoribus , Advocatis & Procuratoribus hiscè sub poenâ arbitrariâ seriò inhibetur , ne in illâ & quâcumque causâ in posterûm sacram Nuntiaturam adeant , neque in causis coram eâdem huc usq[ue] penitentibus illa Decreta vel Sententias sollicitent , aut acceptent , in posteriori verò casu , ut desuper nos indilatè certiores reddant , hiscè sub eâdem poenâ seriò demandatur .



(206)

Præsens Decretum omnibus suprà memoratis per Notarium Sententiarium Junckerstorff indilatè communicari , necnon in curiâ loco solito affigi , defuperque nobis referri jubentes . Sign. Coloniæ 28 xbris. 1785.

J. A. DE SCHONHEIM Officialis,

Nº. VI. Pag. 97.

D E C R E T U M C O M M U N E .

In conformitatem ulterioris clementissimi Rescripti Electoralis de dato Bonnæ 7 Januarii anni currentis singulis Advocatis & Procuratoribus hisce notificatur , quod si partes litigantes , quæ à Sententiis nostris definitivis aut Decretis vim definitivam habentibus appellare volunt , aut coram Tribunal S. Nuntiaturæ nunc extinto (a) in primâ vel ulteriori instantiâ appellationem modò introduxerunt , commissionem revisionis à serenitate suâ Electorali immediatè petierint , abindè ad examinandam definiendamque causam Commissarii eundem in modum prout in aliis Germaniæ Archidiæcesisibus observantia est , denominandi fint. Præsens Decretum omnibus antememoratis per Notar. Sentent. Junckerstorff communicari , necnon in curiâ loco solito affigi defuperque nobis referri jubentes . Sign. Coloniæ 12 Januarii 1786.

J. A. DE SCHONHEIM Officialis,

(a) Si extinctum , cur igitur tot apud Comitia molitiores , ut extinguitur ?



Nº. VII. Pag. 97.

DECRETUM COMMUNE.

Quoniam Serenissimi Archiepiscopi Electoris per
inhæsum clementissimum Rescriptum de 10 Januarii
 anni currentis nobis notificata intentio eò collimat , ut
 sacrae Nuntiaturæ Jurisdicō tanquam pro toto Romano
 Imperio sublata respiciatur (a) , adeoque Decretum
 nostrum commune de 28 Decembris anni præteriti de
 eandem in nullâ & quacumque causâ deinceps adeundo ,
 nedium in causis internis , sed & externis intelligendum
 venit , proinadè ad obviandum sinistræ cuivis aut arbit-
 rariae interpretationi altèsatam clementissimam inten-
 tionem in totâ suâ amplitudine hiscè declaramus , præsens-
 què Decretum , ut antè , per Notarium Sententiarium
 communicari præcipimus . Signatum Coloniæ , 23 Januarii
 1786.

J. A. DE SCHONHEIM *Officialis.*

(a) Ergo Romanum Imperium non protenditur ultrâ
 quatuor Metropolitarum ditionem ? Ergo Regis Borussiorum , & Ducis Electoris Palatini Dominia , Urbium Imperialium territoria , Diœcesis Leodiensis , Spirensis , Ratisbonensis , Paderbonensis , Hildesienensis , &c. sunt extra Romanum Imperium sita ? Ibidem enim vigeat Sacra Nuntiaturæ Jurisdicō....Rifam genetatis amici !

Nº. VIII. Pag. 151.

*Epistola signata a D. Waldenfels Aulæ Bonnensis
2 April 1788 ad Officialem Leodiensem, Gallicè
inserita in nunciis Ecclesiasticis 13^a. Augusti
1788, sic Latinè sonat.*

Nullus dubito quin Dominus Officialis satis sit studiosus exercendi juris primæ instantiæ, ut motivis gravissimis inducatur ad deferendum supplicantis postulato, neque velit suâ recusatione ansam præbere sumendi recursum ad Officialem Metropolitanum, qui, hoc casu incidente, mandavit ut mox admitteretur, declarando censuras latas illegales esse & nullius valoris. Supereft attendendum harum serie, quām sit essentiale (quod variarum Diœceseon jura conserventur, & tum Cleri, tum privatorum commodo provideatur), ut pro appellationibus semper teneatur ordo à Canonibus, (non alius quām Emfienibus) & Concordatis (quæ Nuntiaturis & appellationibus neutriquām adversantur) præscriptus atque stabilitus inter suffraganeos & Metropolitas: nec proindè, per recursum ad Urbem, orientur longæ contestationes, magna dispendia, & plurima incommoda. Itaque in hunc salutarem scopum, & ne partes litigantes post factam Nuntiaturarum in Germaniâ abolitionem (sed si facta, quare tanta in Comitiis Imperii sollicitatio, ut fiat?) terriâ & ultimâ instantiâ (quæ non quidem Nuntiis sed Summo Pontifici reservatur) privatæ, ab Officialis Metropolitanâ judicio ad Romanam Curiam appellare cogantur, Serenissimus Elector Synodales Judices constituit, qui supremum judicium ferant tam in Archidiœcesi, quām in Diœcesibus dependentibus, quales sunt Leodiensis & ceteræ. Hujus institutionis utilitas & rerum ordo suadent, ut hoc commodo frui non renuant.

Nº.

~~(a) talibus regulis
hunc ordinem omnius universorum regulorum regnorum III.
etiam cum regulis omnius universorum regulorum regnorum III.~~

Nº. IX. p. 67. 161.

Vi Concordati Ducem Montensem ac Juliensem inter & Archiepiscopum Colonensem initii, ii qui in hisce Ducatibus ad Beneficia seu Pastoratus aspirant, coram Examinatoribus Dusseldorpii constitutis examen subire tenentur. 18^a. Junii anni cœurrentis 1789, quidam Academæ Bonnensis Auditor, nomine Blumenberg, has questionibus propositis responses dedit. Principis breves notas censorias apposuimus. Quas autem brevitatis causa silentio præterivimus, non idcirco universè approbamus.

Q U E S T I O N E S M O R A L E S.

I An in contrahendo Matrimonio, tamquam Sacramento inter Fideles, feligenda & sanctanda sunt tutiora, & quare?

Ad Iam. respondeo affirmativè, ne scilicet Sacramentum exponatur periculo nullitatis: insuper id manifestum est ex propositione damnata, quæ contrarium sustinet. (a)

II An Matrimonium inter Fideles in causa adulterii alterius conjugis, quoad vinculum tantum, jure ecclesiastico est indissolubile; cum tamen Tridentinum Sess. 24, Can. 7 provocet ad Doctrinam Apostolicam & Evangelicam?

Ad IIam. respondeo, est tantum Jure Ecclesiastico indissolubile. Non obstat, quod Concilium Tridentinum Sess. 24, Can. 7 ad Apostolicam, & Evangelicam Doctrinam provocet: si enim Jure divino indissolu-

(a) Ergò Matrimonia vi dispensationum Archiepiscopali sunt illicita & invalida, cum, si non Fide certum, falso probabilitatum sit, hæc esse nullas & irritas.

O

bile esset , & intendisset Tridentinum , clarus profecto locutum fuisset . (a)

III Cajus Parochus confitetur Titio Parocho , quod ante annum lapsus sit aut in materialissimum , aut in deissimum hujus temporis ; interea vero perrexerit administrare Sacra menta baptismi & pœnitentiae . Quid statuendum ?

Ad III^m. respondeo . Cajus Parochus in materialissimum , aut deissimum hujus temporis lapsus , valide contulit Sacramentum baptismi ; ejus valor enim non dependet a probitate Ministri . An Sacramentum pœnitentiae invalidè administraverit , præcisè ex eo , quod in materialissimum lapsus fuerit , disputari potest (b) , sicutem si reliqua requisita non defuerint .

IV Quænam sunt rationes potiores , quod coelibatus Clericorum preferendus sit statu conjugali eorundem , & quis Clericum ad statum conjugalem aspirantem dispensare potest ?

Ad IV^m. respondeo . Potior ratio , cur coelibatus Clericorum introductus fuit , erat ratio politica ; hinc non facile dicam , an coelibatus Clericorum statu conjugali eorundem preferendus sit ? Si Clericus aliquis aspiraret ad statum conjugalem , potest & debet a proprio Episcopo dispensari . (c)

(a) Hæc responso aperte adversatur S. Scripturæ , & definitioni Cone. Tridentini .

(b) Hæc responso quoad primam partem est certa , cum hæc constet nec improbitatem , nec heresim vel infidilitatem Ministri obstare valori illorum Sacramentorum , que Jurisdictionem non postulant . Quoad secundam partem Parochus materialissimum aut deissimum exterius professus , incurrit excommunicationem & definit esse membrum Ecclesie , unde omnem amittit Jurisdictionem , cuius defectu Pœnitentia Sacramentum valide administrare non potest , nisi defectum illum suppleat Ecclesia ; quod in quibusdam casibus contingere vulgo docent Theologi .

(c) Hæc qd. responso est ex omni parte falsa ; scap-

V An specialiter in hisce Ducatis quorundam
pactorum notitia Parocho est necessaria, & quare?

Ad Vam. respondeo affirmativè. Ratio est, quia Du-
ces Juliæ, & Montium varia cum vicinis Dominis ter-
ritorialibus tum etiam Episcopis pacta inierunt, causas
matrimoniales & beneficiales concernentia.

VI Parochus ab obstetricie baptizatos sine discrimine
rebatizat, dicens hoc tutius esse. Quæritur, in quâ
